

Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

EPISTOLA

Rev.mi Praepositi Generalis: De Spiritu Solitudinis

TITUS A S. PAULO A CRUCE

CONGREGATIONIS SS. MAE CRUCIS ET PASSIONIS D. N. J. C.

PRAEPOSITUS GENERALIS

OMNIBUS SODALIBUS EJUSDEM CONGREGATIONIS

PACEM ET SALUTEM IN DOMINO

Solvente iam tertio praepositurae nostrae anno, Fratres et Filii dilectissimi, cum iam fere omnes, quotquot estis Congregationis Sodales, coram cognoscere datum sit, et de vestris profectibus gratulari, visum est praesentes exhortationis litteras ad vos mittere, ad mutuam fovendam caritatem et ad perfectionis studium augendum; cupimus enim « ut caritas vestra magis ac magis abundet, in scientia et in omni sensu; ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi; repleti fructu iustitiae per Iesum Christum, in gloriam et laudem Dei » ⁽¹⁾.

Ad hoc magnum bonum obtinendum, necesse est « ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis » ^(1a), virtutes et sensus Fundatoris nostri in vobis referentes; quia, cum ipse imago extiterit Crucifixi, si ei similes fuerimus, conformes etiam erimus imaginis Iesu Christi, et in hac conformitate certissimum habebimus signum praedestinationis nostrae, « nam quos Deus praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus » ⁽²⁾.

⁽¹⁾ *Philip.* 1, 9-11.

^(1a) *Ephes.* 4, 1.

⁽²⁾ *Rom.* 8, 29.

Hos porro interiores sensus, ex quibus actiones exteriores et vita ipsa individualis et socialis descendit, spiritum dicimus particularem vocationis nostrae, quem quisque nostrum acquirere et possidere debet, ut perfectionem religiosam assequatur et divinae voluntatis consilia opere compleat, quibus Deus ad Congregationem Passionis Filii sui nos superne vocavit.

De hoc spiritu Sodalitatis nostrae proprio, qui in oratione, solitudine et paupertate consistit, fuse scripsimus in prima nostra epistola, argumenta ex Regulis, traditione et documentis S. Patris Legiferi desumentes ⁽³⁾.

Quia vero superiore anno de spiritu orationis locuti sumus ⁽⁴⁾, in praesenti nobis sermo erit *de spiritu solitudinis*, cuius momentum pro nostra Congregatione, praeclara bona et modum illum custodiendi declarabimus.

I.

SOLITUDINIS NOTIO.

Definitio.

Nomine solitudinis communiter intelligitur locus desertus, habitatoribus vacuus, et ab hominum frequentia remotus. Subjective autem solitudo est conditio seu status eorum qui, civitatibus locisque habitatis relictis, solitarie vivunt, aliorum hominum vitae consuetudine quam minime servata.

Tribus de causis potest homo ad quaerendam solitudinem moveri: aut morbosa quadam animi affectione, « quasi, ait Angelicus, societatem humanam non ferens » ⁽⁵⁾; aut desiderio liberius scientiis litterisque incumbendi, quae, ut Ovidius habet, « secessum scribentis et otia quaerunt » ⁽⁶⁾; aut denique studio sectandae virtutis et, remotis mundi periculis, totaliter Deo serviendi.

Solitudo, hac nobili et supernaturali ratione quaesita, a Divo Thoma vocatur « instrumentum perfectionis » ⁽⁷⁾, et de-

⁽³⁾ *Acta C. N.* XIII, 389 seq.

⁽⁴⁾ *Acta C. N.* XIV, 1 seq.

⁽⁵⁾ II, II, q. 188, a. 8, ad 5.

⁽⁶⁾ Ovid., *Tristia*, I, 1, eleg. 1, v. 41.

⁽⁷⁾ II, II, q. 188, a. 8, c.

finiri potest: voluntarius secessus ab hominum frequentia et a rebus negotiisque mundanis, studio perfectionis evangelicae adipiscendae, et se totum divinarum rerum contemplationi et religionis officiis tradendi.

Solitudo interna et externa.

Duplici hinc elemento solitudinis conceptus, ut instrumentum perfectionis, coalescit: elemento negativo, quod in materiali elongatione a societate consistit, et solitudinem constituit, quam Gregorius appellat « solitudinem corporis », et quae communiter « solitudo exterior » dicitur; et elemento positivo, quod ex mentis applicatione ad divina contemplanda resultat, et ab eodem Divo Gregorio « solitudo cordis » vocatur ⁽⁸⁾.

De hac interiori seu cordis solitudine Divus Fundator noster loquitur, cum, eius definitionem proferens, dicit « solitudinem esse locum, in quo spiritus ad pedes Crucifixi requiescit, se reficit et confortatur sanctae orationis recollectione, ex debilitatibus, languoribus et distractionibus, quas humana fragilitas vel inter sanctiores occupationes pro salute animarum, contrahere solet » ⁽⁹⁾.

Bona est solitudo corporis, quippe quae, ut dicit idem Legifer noster, « animam divinis communicationibus disponit; quo minus enim cum hominibus quis agit, eo maiorem habet introductionem ad agendum cum Deo » ⁽¹⁰⁾. At melior est solitudo cordis, in qua solum « verba vitae aeternae Deus animae loquitur » ⁽¹¹⁾. Quin etiam « sine hac interiori solitudine, subdit Sanctus Fundator, ad nihilum valet vel ipsa Nitriae aut Thebaidis solitudo » ⁽¹²⁾.

Sunt qui in solitudine vivunt, licet nunquam soli reperiantur; eorum enim spiritus rebus mundanis repletur; desideriorum, consiliorum et curarum turba eos quocumque sequitur, angit, stimulat, rapit; timore ac maestitia se prosterni sinunt, ex quibus eorum cor exaerescit et languet. Ut igitur quis vere solitarius existat, imaginationem refrenare debet, cupiditates

⁽⁸⁾ *Moral.* I. 30, c. 26.

⁽⁹⁾ *Lett.* II, 212.

⁽¹⁰⁾ *Lett.* I, 635.

⁽¹¹⁾ *Lett.* III, 664.

⁽¹²⁾ *Lett.* III, 754.

compescere, et sensus externos mundo claudere, ut Deus ei loquatur et ipse Deo. « Solus eris, ait Divus Bernardus, si non communia cogites, si non affectes praesentia, si fastidias quod omnes desiderant, si iurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum; alioquin nec si solus corpore es, solus es » (13).

Etiam S. Gregorius ait: « Qui corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanae et terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant; ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas ab oculis mentis abigant manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quaerant » (14).

Gradus Solitudinis.

Huius, quam descripsimus, solitudinis, diversi gradus agnoscuntur, iuxta maiorem vel minorem a rebus mundanis secessum.

Strictiori sensu, solitudo omnem prorsus excludit vitae socialis convictum, et idem est ac vita solitaria antiquorum eremitarum, qui exemplum magni Pauli et Antonii secuti, vitam agebant in deserto, Deo dumtaxat divinisque rebus intenti. Iuxta Divum Thomam, haec solitudinis species competit iam perfectis et, « si debite assumatur, praeminet vitae sociali » (15):

Sensu minus stricto, consideratur solitudo propria coenobitarum, qui, mundo remoti, vitam communem cum aliis religionis degunt, rerum divinarum contemplationi et labori, alterna vice, incumbentes. Solitudo haec commodis vitae strictae solitariae bona vitae communis addit, quae, ut ait Angelicus, exercitium perfectionis dupliciter iuvat: « uno modo quantum ad intellectum, ut homo instruat in his, quae sunt contemplanda;

(13) *In Cant. Cantic.*, Sermo 40, 4.

(14) *Moral.* l. 30, c. 26.

(15) *II. II.*, q. 188, a. 8, c.

secundo quantum ad affectum, ut scilicet noxiae affectiones reprimantur exemplo et correctione aliorum » (¹⁶).

Tandem habetur solitudo propria recentiorum Ordinum et Congregationum vitae mixtae, in quibus contemplationi exercitium sacri ministerii et praesertim apostolatus, determinatis limitibus, copulatur. Hoc vitae genus, licet minorem separationem a mundo subaudiat, aliis vitae generibus perfectione praestat; « sicut enim, ait Angelicus, maius est illuminare quam lucere solum; ita maius est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari » (¹⁷).

Porro huius tertii generis solitudinem non eodem modo eodemque gradu omnibus Sodalitatibus vitae mixtae competere compertum est. Sunt enim quae, iuxta proprias Constitutiones, magis solitudinem quam activitatem colentes, circumscriptis tantum arctioribusque limitibus exterioribus operibus vacant, et proinde ob studium contemplationis, propius ad coenobitarum vivendi rationem accedunt. Has inter Sodalitates eminet Congregatio nostra, cuius propria ac perspicua nota est *spiritus solitudinis*, ut S. Regulae praescriptionibus et S. Patris Legiferi documentis demonstratur.

II.

SPIRITUS SOLITUDINIS MOMENTUM PRO CONGREGATIONE.

Regularum et Statutorum praescriptiones.

Finem specialem Sodalitatis nostrae in primo capite enunciate determinans, S. Regula ait: huius pauperis ac minimae Congregationis asseclas debere potissimum sibi consulere, pro seipsis primum orando ut per caritatem Deo uniantur, cum oratio una sit ex praecipuis nostrae Congregationis partibus (¹⁸). Igitur exercitiis vitae activae vita contemplativa praecedat necesse est, et apostolatus operibus in salutem animarum secessus in solitudine et oratione.

Hinc etiam, capite secundo, eadem S. Regula absolute prae-

(¹⁶) II. II, q. 188, a. 8.

(¹⁷) II. II, q. 188, a. 6, c.

(¹⁸) Reg. n. 2-3.

scribit, domos Congregationis, quas consulto religiosos *recessus* appellat, « fundari debere *in locis remotis* aptiori ac meliori modo quo fieri poterit » ⁽¹⁹⁾.

Hanc praeterea solitudinem Religiosi omnes Sodalitatis nostrae, ex Regulae praescripto, colere et sancte custodire tenentur. In solitudinem Missionarii, post apostolicos labores, se recipere debent, « mane diluculo discedentes, et aliorum societatem studiose vitantes, quo facilius divinarum rerum contemplatione spiritum reficiant » ⁽²⁰⁾; ad solitudinem sollicitate reverti iubentur tum fratres, expleta quaestuatione, tum Sacerdotes, qui ad vicinia mittuntur pro christianae pietatis religionisque officiis, « ut bonum multiplex religiosae solitudinis quam elegerunt ex Regulae praescripto retineant » ⁽²¹⁾; et in solitudine Sodales omnes vivere debent « caventes, veluti a gravissima tentatione, a cupiditate extra recessum exeundi, magisque ne hoc sibi procurent licet indirecte ac sub praetextu zeli pro aliorum salute, ut solitudinis bono fruantur, ad quam a Domino vocati sunt » ⁽²²⁾.

Documenta S. Patris Legiferi.

His Sanctae Regulae et Statutorum praeceptis vitam suam integram S. Fundator noster composuit; immo dici potest ea nihil aliud fuisse nisi eius vitae adaequatam expressionem, cum et ipse, ad exemplum Redemptoris nostri, prius facere et deinde docere coeperit ⁽²³⁾.

A iuvenilibus annis, mundum fugiens « cervi sitiensis instar, currit ad crucem » eique « solitudo dulcis aspirat » atque in ea, veluti in aptissima palaestra, ad virtutes et apostolatus opera, divina ei gratia magistra, docilis efformatur ⁽²⁴⁾.

Salvete, profundae ac nostris affectibus venerabiles solitudines Argentarii et Foliani montium, S. Patris nostri poenitentis sanctiores redditae; eius orationum aromatibus adhuc repletae; virtutum eius locus ac testimonium! In vobis Sodalitas a Passione, Mater nostra, in lucem edita fuit; in vobis floruit ac

⁽¹⁹⁾ Reg. n. 5.

⁽²⁰⁾ Reg. n. 10. 218.

⁽²¹⁾ Reg. n. 299.

⁽²²⁾ Stat. n. 186.

⁽²³⁾ Act. 1, 1.

⁽²⁴⁾ Ex Hymn. ad Vesper. festi.

germinavit; in vobis ac per vos vires sumpsit ad Crucis vexillum per omnes mundi plagas inferendum; et in vobis, per saecula, securitatem, prosperitatem et vitam inveniet.

Promissio haec est, Fratres et Filii dilectissimi, quam ipse Fundator, iam morti proximus, nobis solemnibus verbis expressit, cum, postquam filiis omnibus praesentibus et absentibus esset bene precatus, iisdem perquam maxime una cum paupertate et oratione, *spiritum solitudinis* commendavit, adiungens fore ut Congregatio coram Deo et hominibus fulgeret in perpetuas aeternitates, si in ea talis spiritus servaretur illaesus. Breve insuper post silentii intervallum, iterum verba faciens, instantissime denuo solitudinem commendavit, Superioribus praesertim iniungens « ut Recessus, maxima eorum cura et diligentia, *in locis remotis fundarentur*, quomodo Regula praescribit, nec se humanis respectibus vinci sinerent, nec a tali firmo proposito unquam recederent » ⁽²⁵⁾.

Haec ceterum extrema Patris nostri commendatio nihil aliud erat nisi eorum resonatio ac repetitio quae indesinenter in vita et docuit et commendavit. Pro certo habens « minorem hominem redire, qui frequenter cum hominibus agit » ⁽²⁶⁾, et « nimiam cum creaturis conversationem orationi et conversationi cum Deo impedimentum afferre » ⁽²⁷⁾, nunquam cessabat, sive internam sive externam solitudinem suis Religiosis inculcare.

Eius voluntas erat « ut solitudo interna etiam inter negotia et labores custodiretur » ⁽²⁸⁾; ut ipsi « in interiori eorum spiritu soli cum Deo essent, ut ardentissimo amore erga Deum aestuarent » ⁽²⁹⁾; nec facile sinebat eos diu extra recessum permanere, nisi ex vera probataque de causa, « ne spiritus languorem et tepiditatem ex mundi consortio reportarent » ⁽³⁰⁾. Fratri autem suo Antonio scribere non dubitavit: « Si vis in hac permanere vocatione, procul a mundo in solitudine tibi vivendum est » ⁽³¹⁾.

Maioris etiam momenti sunt declarationes quas de necessitate solitudinis, duplici data occasione, Fundator noster pu-

⁽²⁵⁾ *Summ. super Virtut.* n. 24, § 232.

⁽²⁶⁾ *Lett.* I, 201.

⁽²⁷⁾ *Lett.* I, 635.

⁽²⁸⁾ *Lett.* III, 638.

⁽²⁹⁾ *Lett.* I, 553.

⁽³⁰⁾ *Lett.* II, 399.

⁽³¹⁾ *Lett.* I, 200.

blice edidit. Cum quidam Congregationis benefactor, Adeodatus Amati, prope recessum S. Sosii, domum ruralem ad suae familiae rusticationem construere voluisset, Paulus a Cruce, timens pro illius recessus solitudine, non dubitavit ad Summum Pontificem litteras mittere, Sanctitatem suam, humillimis sed instantissimis verbis adprecans, « ut ille ab incepta constructione, edicto, vetaretur, ne religiosi recessum relinquere cogerentur », quod secus infallibiliter futurum affirmavit; « etenim, domo illa ad finem adducta, religiosi amplius in recessu permanere nequibat ex destructa inde solitudine et regulari observantia » ⁽³²⁾.

Alia vice, cum ecclesiae Tusculanae Auctoritas Sodales nostros recessus montis Albani adigere vellet ad onera et officia sustinenda, cum solitudine a Regulis praescripta incompatibilia, idem Legifer noster rescripsit: « Congregatio nostra, iuxta lumen, quod Divinae Maiestati Suae nobis concedere placuit, tota fundata est in oratione, ieiunio *et vera solitudine*, secundum ipsius Redemptoris consilia, qui discipulos suos, post sacras expeditiones, in solitudine requiescere praecipiebat. *Super hoc fundamento Congregatio posita est, et eo sublato totum corrui aedificium, quia prorsus extra vocationem, quam Deus nobis dedit* » ⁽³³⁾.

Necessitas pro Missionariis.

Ex his repetitis hortationibus et commendationibus poterit quis arguere, nos, data opera, alium finem principalem Congregationis silentio praeterire, qui in procuranda animarum salute consistit, « naviter obeundo officia caritatis erga proximos et ea prudenter et sedulo praestando, quae pro loco et tempore fieri oportebit ad maiorem Dei gloriam » ⁽³⁴⁾. Si Sodalium nostrorum vita in profunda solitudine recessuum tota erit transigenda, ad quid studiis incumbere, et se idoneos ad sacra ministeria reddere? Nonne sacrum ministerium, qui iuvandis animis intendere cupit, ex solitudine exire oportet, ad populum se conferre et omnia omnibus se facere, ut omnes Christo lucrifaciat?

Ita sane. Attamen profundius rem consideranti nulla apparet inter zelum apostolicum et solitudinem repugnantia, nulla in

⁽³²⁾ Lett. IV, 200.

⁽³³⁾ Lett. III, 417.

⁽³⁴⁾ Reg. n. 2.

sanctae Regulae praeceptis contradictio. Nonne S. Paulus a Cruce solitudinis fuit amantissimus? Et simul tamen eximius extitit Evangelii praeco, et innumeras animas ad pedes Crucifixi reduxit.

Duo nobis potissimum in Regulis iubentur; studium solitudinis et zelus animarum. Atqui haec nedum non opponuntur, sed « alterius sic altera poscit opem res, et coniurat amice » ⁽³⁵⁾, ut aptus et efficax verbi Dei minister, sine studio solitudinis, haberi non possit.

« Qualis debeat esse qui evangelizat regnum Dei, inquit S. Ambrosius, praeceptis evangelicis designatur: ut sine virga, sine pera, sine calceamentis, sine pane, sine pecunia, hoc est subsidii saecularis adminicula non requirens, fideque tutus, putet sibi, quo minus ea requirat, magis posse suppetere. Quae possunt, qui volunt ad eum derivare tractatum, ut spiritalem tantummodo locus iste formare videatur affectum: qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solum potestate reiecta contemptisque divitiis, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis. Quibus primo omnium datur pacis atque constantiae generale mandatum, ut pacem ferant, constantiam servant, hospitalis necessitudinis iura custodiant: alienum a praedicatore regni coelestis adstruens cursitare per domos et inviolabilis hospitii iura mutare » ⁽³⁶⁾. Habetis hic spiritui et praxi apostolatus studium servandae solitudinis amice coniunctum, unde apparet solitudinem, nedum zelo oppositam, esse illius et auxilium validissimum et praeclarum fomentum.

Sacerdos spiritum habens curis et sollicitudinibus humanis distentum, mentem vanitatibus repletam et cor ad terrena desideria pronum, si naturalibus praestet dotibus, disertus poterit esse orator; at numquam erit homo apostolicus, qualem Christus in Evangelio requirit; ipseque merus seminiverbius, « aes sonans aut cymbalum tinniens » reputabitur ⁽³⁷⁾.

In litteris S. Patris nostri scriptum legimus « plures afferre spirituales fructus operarium, qui fuerit homo orationis ac solitudinis amans, quam mille alii qui tales non sint » ⁽³⁸⁾. « In

⁽³⁵⁾ HOR., *De arte poët.* vv. 410-411.

⁽³⁶⁾ S. AMBR., *In Luc.* I. IX, c. 6.

⁽³⁷⁾ *I Cor.* 13, 1.

⁽³⁸⁾ *Lett.* III, 418.

pluribus occasionibus, inquit P. Joannes M. a S. Ignatio, servus Dei experientia noverat ac veluti manibus hanc veritatem con-tractaverat, operarios scilicet Evangelii, post labores pro salute animarum obitos, recollectione in solitudine indigere, ad vires spirituales in oratione et quiete resumendas » (39). Et haec ratio fuit ob quam S. Legifer in Regulis ordinavit domicilia in locis remotis esse construenda, « ut, nempe, pii Sodales, post apostolicos labores pro divina gloria et animarum salute obitos, procul ab hominum frequentia et saeculari strepitu, secederent soli intenti bono spiritus, orationibus, ieiuniis et aliis piis exercitationibus, quibus magis magisque divino amore inflammati, auctique christianis virtutibus, paratiores atque expeditiores fierent, ad uberes divini verbi per ipsos spargendi fructus colligendos » (40). « Nisi ita fiet, addit citatus testis, missionarius erit sicut candela, quae dum alios illuminat, seipsam consumit » (41).

« Non secure ergo apparet, nisi qui libenter latet; non secure loquitur, nisi qui libenter tacet » (42).

Neque dicatur haec principia haudquaquam nostris temporibus vim habere, cum impietas et morum ubique corruptio intensiorem apostolatam et magis assiduam curam pro animabus fidelium postulare videantur. Etenim, iuxta Pium XI, si unquam alias, hodie potissimum amor solitudinis in operariis evangelicis necessarius apparet, « quando tot cernimus christianos, coelestium rerum commentatione posthabita, immo etiam omni aeternae salutis cogitatione deposita, terrenas opes voluptatesque corporis effrenate persequi, atque ethnicos mores, Evangelio omnino adversos, induere, et privatim publiceque exhibere ». Nonne bonum exemplum aptior et efficacior est via ad animas Christo lucrificandas? Nonne poenitentia et oratio media sunt aptiora, quae sacrae praedicationi vim et virtutem conferant? Nisi enim haec « divinarum gratiarum copiam ad agrum dominicum irrigandum e caelo deducerent, tenuiores profecto essent fructus apostolatus ». Quare, et christianae perfectionis doctrinae, et ipsius apostolatus fecunditati contrarium erit affirmare virtutes, quas iniuria passivas vocant, nostris diebus obsolevisse,

(39) *Summ. super Virt.*, n. 14, § 13.

(40) *Reg.* n. 10.

(41) *Summar.* l. c.

(42) *Imit. Christi*, l. I, c. 20, 2.

atque nos totos, solitudine deposita, tradi debere vitae activae exercitiis ⁽⁴³⁾.

Teneamus igitur S. Patris nostri traditionem indeclinabilem, illam servantem solitudinem, quam ipse in Regulis docuit, quaeque fundamentum constituit Congregationis, et unum ex praecipuis elementis particularis spiritus vocationis nostrae.

III.

DE MULTIPLICI BONO SOLITUDINIS.

Ad solitudinem amandam nos quoque movere debet consideratio bonorum quae ex ea velut a fonte promanant.

S. Fundator noster solitudinem vocat « donum donorum, fontem et altricem bonorum omnium » ⁽⁴⁴⁾; et Pius XI f. r. docet « illos qui umbratilem remotamque a mundo vitam traducunt optimam partem, ut Maria e Bethania, elegisse, cum eorum vivendi genus perfectissimum sit, utile et fructuosum, plurimumque ad perfectionem adipiscendam accomodatum » ⁽⁴⁵⁾.

S. Scripturae testimonia.

Id in primis verum apparet ex plurimis S. Scripturae locis, quibus demonstratur Deum, Sanctificatorem animarum, consuevisse ad solitudinem vocare quotquot sibi, intimius coniungere, et ad aliorum salutem aptiora instrumenta reddere intendebat.

Abraham Patrem eligit futurum omnium credentium: et ecce illum « de terra sua, de cognatione sua et de domo patris sui » exire iubet ⁽⁴⁶⁾.

Moysen ad magnum opus mediatoris antiqui Foederis et populi Israel liberatoris designat: et ecce eum multis annis praeparat in solitudine Madian, atque « ad interiora deserti, et ad montem Dei Horeb » illi apparet « in flamma ignis de medio rubi » nomenque suum ineffabile et incommunicabile manifestat, eique missionem committit populum suum, filios Israel, educendi de Aegypto ⁽⁴⁷⁾.

⁽⁴³⁾ Cfr. A. A. S., XVI, 385 seq. *Constit. « Umbratilem »*.

⁽⁴⁴⁾ *Lett.* III, 125.

⁽⁴⁵⁾ A. A. S., *Const. « Umbratilem vitam »*, XVI, 385 s.

⁽⁴⁶⁾ *Gen.* 12, 1.

⁽⁴⁷⁾ *Exod.* 3, 1-14.

Hunc populum Deus, ex servitute liberatum, electum populum efficere et in terram promissionis introducere intendit: et ecce illum, per annos quadraginta, in deserti solitudine parat, instruit, moderatur, eique legem tabulis lapideis scriptam e caelo communicat ⁽⁴⁸⁾.

Quid prophetas atque alios antiqui Foederis viros illustres commemorem? Nonne ipsos in solitudine Deus praeparavit, in solitudine instruxit, et in solitudine vocavit, ut ad populum, suae voluntatis legatos et interpretes, mitteret?

Ultimum prophetam, sed omnium maximum, Joannem Baptistam, nonne in desertum a puero adduxit, ut in solitudine ad missionem Redemptoris vias parandi illum disponeret? Puer utique « crescebat et confortabatur spiritu et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israël » ⁽⁴⁹⁾.

Quod in Sanctis suis, hoc et Deus in Filio suo operatus est, cum illum in plenitudine temporis misit in mundum, ut omnium hominum esset magister et redemptor. Per triginta annos in paupere et humili Nazarethana domo Jesus moratur, mundo et hominibus absconditus. Antequam praedicationis suae ministerium ineat, quadraginta diebus et quadraginta noctibus in deserti solitudine permanet, et ad solitudinem recursum habet, cum maxima sui ministerii opera complet, ut Apostolorum electionem, ut suae gloriae manifestationem in monte Tabor, ut initium suae Passionis in horto Gethsemani.

Jam in coelis gloriosus, Saulum persecutorem in Paulum apostolum gentium sua gratia convertit; sed antequam muneri, ad quod elegerat, eum addiceret, in deserta Arabiae compulit Damasco migrare ⁽⁵⁰⁾, ibique fere triennali solitudine, ipse Magister Evangelium docuit, et virum perfectum, « operarium inconfusibilem recte tractantem verbum veritatis » ⁽⁵¹⁾ effecit.

Historiae testimonia.

Ex multiplici etiam historiae ecclesiasticae testimonio luculenter patet solitudinem omni tempore medium fuisse efficacissimum ad viros sanctos et apostolicos efformandos.

⁽⁴⁸⁾ *Exod.* 24, 12.

⁽⁴⁹⁾ *Luc.* 1, 80.

⁽⁵⁰⁾ *Gal.* 1, 17.

⁽⁵¹⁾ *II. Tim.* 2, 15.

Iam inde ab Ecclesiae incunabulis, multos novimus fuisse sive viros sive mulieres, qui rebus omnibus, amicis et cognatis relictis, solitudinem petebant, ut Deo coniunctius viverent, et propriae sanctificationi melius consulere. Hinc eremitarum ingens multitudo, Paulo et Antonio ducibus; hinc numerosa monachorum turba, qui post vestigia Pachomii et Macarii, solitudines incolere; hinc coenobitarum exercitus, qui sub Regula magni Basilii et Benedicti militantes, Ecclesiam poenitentibus et coelum sanctis viris repleverunt.

Etiam aetate media, solitudo deliciae novorum Ordinum religiosorum fuit, quos tunc temporis Deus in auxilium et defensionem suae Ecclesiae suscitavit; atque vicinioribus temporibus, palaestra fuit aptissima, in qua et maximi missionariorum suum apostolatam et viri, sanctitatis lumina, suas virtutes auspiciati sunt.

Nonne, Fratres et Filii dilectissimi, eadem veritas ex historia Congregationis nostrae elucescit? Una cum solitudine omnia bona Fundator noster se consecuturum speravit, ac in primis sui Instituti incrementum et stabilitatem; nec spes incassum cecidit. In recessibus ab Eo fundatis, in locis vere ab hominum frequentia remotis, Isaiae vaticinium expletum visum fuit: « Laetabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium; germinans germinabit, laetabunda et laudans; gloria Libani data est ei: decor Carmeli et Saron; ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri » ⁽⁵²⁾. Ad illas beatas solitudines adlecti sunt, ut se divo Fundatori socios adiungerent. pauci numero, sed magni virtute viri, quos merito ut lapides angulares Instituti habemus. Ipsi, mundo remoti, intra recessuum septa de virtute in virtutem proficientes, ad illam spiritus plenitudinem et divinorum scientiam pervenerunt, qua digni operarii Evangelii effecti, ad omne opus bonum instructi, Christum Crucifixum magno cum animarum lucro, ubique praedicaverunt.

Testimonia ex ratione.

Quod ita et non aliter fieri oporteat, etiam ratione, fidei lumine illustrata, confirmatur.

Solitudo locus est, in quo Deus animae loquitur. Non inter

(52) Is. 35, 1-2.

mundi negotia et impedimenta, non in magnis populi coetibus et mundanis conversationibus, non in medio turbarum strepitu, sed in solitudine vox Dei auditur, ut legitur in Osea: « Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius »⁽⁵³⁾.

Solitudo est locus naturalis orationis. Oratio extrinsecus poscit magnam tranquillitatem, magnam intus pacem, perfectam seiunctionem a creaturis et integram Deo attentionem. At hiccine est mundi status, sexcentis periculosis negotiis immersus? Non audit Deus preces nostras in plateis, inquit Isaias, sed in locis secretis ac silentii tranquillitate. « Tu autem cum oraveris, dicit Christus in Evangelio, intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito »⁽⁵⁴⁾. Orare idem est ac mentem in Deum levare. At ubinam mentis ista elevatio melior quam in solitudine? Jeremias dicit: « Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se »⁽⁵⁵⁾. « Se elevat super se anima in solitudine, inquit S. Petrus Damiani, quia Deum esuriens, se rerum obtutibus erigit, atque in altum coelestis desiderii pennis se librat »⁽⁵⁶⁾. Christus ipse id exemplo suo nos docuit; saepe enim, ait S. Ioannes Chrysostomus, « ipse solus montem ascendit, et pernoctans orat, ut nos doceat, eum qui ad Deum accedit, omni tumultu vacuum esse, et tranquillum locum quaerere debere »⁽⁵⁷⁾.

Solitudo locus est ubi minora sunt animae pericula. « Quid enim sunt et hominum frequentia, et officia, et salutationes et convivia, nisi quaedam catenae voluptatum? »⁽⁵⁸⁾. At ubinam ab iis securitas nisi in solitudine? « Minus enim, inquit Augustinus, minus voluptatibus stimulat, qui non est ubi frequentia voluptatum »⁽⁵⁹⁾. Auctor quidam gentilis et ipse aiebat: « Quid tibi vitandum praecipue existimem, quaeris? Turbam. Nondum illi te tuto commiseris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui turbatur: aliquid ex his quae fugavi, redit »⁽⁶⁰⁾. Unde merito Di-

(53) OS. 2, 14.

(54) MATTH. 6, 6.

(55) *Thren.* 3, 28.

(56) S. PETRUS DAM., *De laudibus vitae solitar.* c. 19.

(57) S. JOAN. CHRYS., *In Joan.* 6, hom. 42.

(58) S. HIERON., *Epist.* 14 ad Paul.

(59) S. AUGUST., *De singularit.*

(60) SENECA, *Epist.* 7.

vus Bernardus solitudinem « mortem vitiorum » appellat ⁽⁶¹⁾; illic enim ea fugimus, quae nos conturbant; illic obrudimus conversationes, quae a Deo avertunt; illic resecantur affectus, qui sunt causae et semina peccatorum.

Solitudo est portus securus contra inimicorum insidias. Ad eam mundus accessum non habet; minora in ea sensus inveniunt incentiva peccati, et daemones non habent unde nos seducant et alliciant. Regnum siquidem diaboli mundus est, in quo suos tendit laqueos, insidias struit et ardentes parat sagittas, « ut sagittet in obscuro rectos corde » ⁽⁶²⁾.

Qui ergo a mundo recedit, his periculis liberatur, et in solitudine, tanquam in tranquillo portu, securus requiescit.

Hinc merito a sacris et profanis scriptoribus solitudo magnificis extollitur laudibus et encomiis celebratur. A S. Laurentio Justiniano vocatur: « Tranquillitatis portus, delictorum fuga, gratiarum nutrix, caeli ianua, orationis locus, compunctionis mater, discretionis cathedra, meditationis incentivum et contemplationis sanctae auxilium singulare » ⁽⁶³⁾. « In ea gratiae sunt uberiores, praemia magis magnifica, errores infrequentiores, promptior paenitentia, vita tranquillior, mors suavior, beatior aeternitas » ⁽⁶⁴⁾. A Plutarco autem solitudo dicitur: « gymnasium sapientiae, morum magistra; effectrix et directrix animarum ».

Merito igitur S. Legifer noster, rerum divinarum expertissimus, quique solitudinis bona gustaverat, eam appellare potuit « donum omnium donorum » ⁽⁶⁵⁾; « donum in quo magnus honorum thesaurus absconditur » ⁽⁶⁶⁾.

IV.

DE CUSTODIA SOLITUDINIS.

At thesaurus iste omni cura et diligentia servandus et custodiendus est. Bona solitudinis nunquam gustabit, qui propriae vocationis spiritus oblitus, eam ad exemplum Patris nostri Legi-

⁽⁶¹⁾ *Hom. in Evang. Simile est.... homini negot.*

⁽⁶²⁾ *Ps. 10, 3.*

⁽⁶³⁾ *De vita solit. c. 1.*

⁽⁶⁴⁾ *Cfr. LOHNER, Bibliotheca, vox: Solitudo.*

⁽⁶⁵⁾ *Lett. III, 125.*

⁽⁶⁶⁾ *Lett. III, 803.*

feri non amaverit nec fideliter custodierit. De hac custodia, quae caput et finis est huius nostrae epistolae, aliquid nunc exponimus, media aptiora vobis proponendo.

In solitudine commorandum.

Atque in primis, omnibus compertum esse debet ad custodiendam solitudinem eiusque percipiendos fructus necessarium esse in ea commorari, remotis omnibus occasionibus extra recessum eundi sine necessitate.

Prorsus inutile foret domos habere in solitudine fundatas, si eam religiosi saepius relinquerent, et in pagos et civitates, quavis arrepta occasione, cursitarent. Huic rei maxime Fundator noster cavebat, qui suos religiosos extra recessum facilius fieri, ibique diutius commorari non permittebat, quippe qui noverat « id causam esse amittendi spiritus fervorem » ⁽⁶⁷⁾.

« Ad ipsum quod attinebat, ita B. Vincentius M. Strambi in eius vita scribit, servus Dei nunquam propria voluntate solitudinem reliquisset, sed in ea velut in sepulcro vitae, ubi mundo moritur et Deo feliciter vivitur, vitae suae tempus omne transegisset, unde ad quemdam consulto scribere potuit: Ubi nihil faciendum habeo, ego morari non soleo; ubi primum negotium explevi, cum festinatione redeo, et nonnisi raro in publicum prodire debeo; idque etiam magis magisque me facturum spero, quia Deus ita vult » ⁽⁶⁸⁾.

Hinc etiam maximi S. Paulus faciebat religiosos illos, qui solitudinis amantissimos nosceret. « Quoties sciebat, inquit idem Beatus noster, religiosos quietos, humiles et solitudinis studiosos esse, eos in maxima aestimatione habebat, eorumque animos laudibus et incitamentis confirmabat. De iis etiam valde gaudebat qui, extra recessum obedientia missi, citius quam poterant, revertentur, inquit ex nimia commoratione extra recessum facile spiritum amitti; cum e contrario spiritum Congregationis a Passione illi se habere ostendant, qui in recessu ad pedes Crucifixi commorari studeant » ⁽⁶⁹⁾.

Hac de causa in epistola illa, quam directionis instar, S. Paulus ad Rectores Congregationis misit, et quae in Statutis

⁽⁶⁷⁾ *Lett.* II, 399.

⁽⁶⁸⁾ *Vita del Ven. Servo di Dio P. Paolo della Croce*, pag. 302.

⁽⁶⁹⁾ *Ibid.*, pag. 392.

continentur, maxime commendat « ne Rector sine gravi necessitate exeat; neve subditos exire permittat, nisi propter veram necessitatem » ⁽⁷⁰⁾.

His praeclarissimis normis, quae S. Patris nostri Legiferi sacram haereditatem constituunt, Maiores nostri fideliter sese conformarunt; unde etiam quoad sacra ministeria acceptanda, moderationem commendatam voluerunt, praecipientes « ne evangelici operarii plus aequo extra recessum detinerentur, cum spiritus ac etiam sanitatis detrimento » ⁽⁷¹⁾. Quoad quaestuationem vero mandarunt ut Rectores « prudenter caverent ne frequentius fratres ad eas peragendas mitterent, cum exploratum sit religiosos nimium circumeuntes spiritus dissipationem, quin etiam totalem amissionem incurrere » ⁽⁷²⁾.

De moderatione in acceptandis sacris ministeriis, deque normis a Maioribus nostris observatis, et nostris temporibus, quoad substantiam, observandis, sapienter scripsit Praedecessor noster Titus a Jesu in suis litteris sub die 27 Februarii 1933; et quae ipse in hac re tradidit, etiam nos recolimus et commendamus, utpote aptissima media ad sartam tectam servandam traditionem Instituti, illumque solitudinis spiritum custodiendum, qui proprius debet esse cuiusque sodalis à Passione Jesu.

Quis enim ignorat nimiam saecularium frequentationem, etiam ad bonum finem, sine aliquo animae detrimento esse non posse? « Omne agens in agendo patitur a patiente »: hoc philosophiae principium verum probatur etiam cum alios meliores efficere conamur. Missionarius, ait quidam, lima est quae rubiginem vitiorum abradit e ferreo pectore peccatorum, at cum deterit abradendo, ipse nonnihil deteritur; scalpellum est, quo cor lapideum saecularis hominis in pulcherrimum formatur signum, at scalpendo frequenter, acumen, lapidis duritie, retunditur ⁽⁷³⁾.

« Si praedicator et populus nimium inter se conversentur, alteruter alterutrius mores induet, quia naturale est ut assidue conversans cum alio, contrahat eius mores. At facilius est praedicatorem descendere ad mores imperfectos saecularium, ob eam

⁽⁷⁰⁾ *Statut.* 154, V. VII.

⁽⁷¹⁾ *Statut.* n. 193.

⁽⁷²⁾ *Capit. Gener.* XI.

⁽⁷³⁾ JULIUS NICRONUS S. J., *Regulae Comm. S. J. Commentariis illustratae*, pag. 646.

legem humanae infirmitatis, qua deorsum versus homines ad imperfectiora trahuntur » (74).

Sunt qui putent, solitudinem colere idem esse ac talentum sudario involutum in terra abscondere; magisque ad gloriam Dei conducere non coarctatam libertatem in medios populos se conferendi, et totos se vitae activae ministeriis tradendi. At id perperam affirmatur; « nam magisterio Ecclesiae praedicator instruitur, inquit S. Gregorius, ut raro sit in publico, frequentius in secreto; ut quo tardius aspicitur, devotius veneretur. Tunc quidem quasi coelestis suspicitur; quia quo amplius in secreto contemplationis latuit, verbi Dei thesauros ad eos, qui se expectant, ditiores trahit » (75).

Ne frustra igitur nobis blandiamur. Difficillimum est pravas arcere cupiditates in mundo, ubi omnia his fovendis inducunt; difficillimum est diutius in mundo manere eiusque contagiosum aërem perflare, quin labe inficiamur. « Necessae est, ait S. Leo, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere » (75a). Maximus quilibet fervor, nisi foveatur, tepescit; constantissima quaelibet virtus, nisi novis fulciatur incrementis, deminuitur et frangitur. Ideo necessarium est post apostolicos labores a mundo declinare et in solitudine requiescere, ut vires resumentur, et fervor spiritus, orationibus, ieiuniis et aliis piis exercitiis reviviscat (76).

De vitandis in solitudine inutilibus visitationibus et colloquiis.

Sed nihil est in solitudine commorari, nisi inutiles visitationes et colloquia cum saecularibus arceantur, quae, ut Fundator noster dicit, « internam destruunt recollectionem et pestis sunt devotionis » (77).

Hinc repetita eius omnibus filiis commendatio « ut, quoad fieri potest, saeculares procul fiant a nostris recessibus, et citius expediantur, si ob aliquam causam cum eis sit tractandum » (78).

(74) ALFONSUS TOSTATUS, *In Matth.* c. 4, 9.

(75) *Lib. 4 in I Reg.*, c. 4, n. 35.

(75a) *Sermo 4 de Quadrag.*

(76) *Reg.* n. 10.

(77) *Lett.* IV, 261.

(78) *Ibid.*

Hoc quidem monitum, de quo etiam S. Regulae agunt (n. 297), fusius in Statutis renovatur, ut consectorium illius solitudinis spiritus, super quo S. Paulus a Cruce Congregationem, ex divina inspiratione, fundatam voluit ⁽⁷⁹⁾. Potissimum vero Superioribus onus imponitur vigilandi, simulque mandatur ut et ipsi « brevissimi sint in loquendo cum saecularibus ac negotia celeriter expediant, ne pravum subditis exemplum ac spiritui valde perniciosum reliquant » ⁽⁸⁰⁾.

Frequens et nimium protracta cum saecularibus conversatio eripit tempus, quod fructuosius studiis et regularibus observantiis esset impendendum; eripit devotionem et affectum ad res spirituales; eripit mores graves et optimos multo tempore et labore comparatos ⁽⁸¹⁾. Etenim de quibus rebus, nisi de caducis novitatibus et oblectamentis saeculares sermones texunt? Quis autem non intelligit ex talium rerum narratione et recordatione non parum detrimenti spiritum religiosum reportare? Titillari enim solet animus talium rerum auditione, et incitari ad mundana repetenda. « Qui saecularium hominum amicitia delectatur, inquit S. Basilus, et cum illis assidue in colloquio esse cupit, ex frequenti cum illis colloquutione facile pravas eorum affectiones concipiet, et mente rursus cogitationibus mundanis repleta, a praeclara illa, quam aggressus fuerat, instantia operis desciscet et a se deinceps, proscripta vitae spiritualis stabilitate, quem ex animo effuderat vitae prioris vomitum resorbebit, atque adeo saucius concidet, misere confisus, ab hoste » ⁽⁸²⁾.

Cellae, laboris et silentii amor.

Tertio loco, ut medium efficacissimum solitudinis custodiendae, cellae Sacerdotibus et clericis, laboris fratribus, silentii autem omnibus Sodalibus cura proponitur.

Si quaeras ubi possis pacem et tranquillitatem invenire, atque utiliter et fructuosius studiis vacare et sanctae recollectioni prospicere, en tibi cella, « terrestris servi Dei paradus » ⁽⁸³⁾, offertur. « In cella invenies, quod de foris saepius amittes. Si

⁽⁷⁹⁾ *Statut.* 93-94.

⁽⁸⁰⁾ *Statut.* 154, IV. VI.

⁽⁸¹⁾ S. JOANN. CLIM., *Grad.* 3.

⁽⁸²⁾ S. BASILIUS, *Monach. Constit.* c. 21.

⁽⁸³⁾ *Lett.* I, 48.

non exisses, nec quidquam de rumoribus audisses, melius in bona pace permansisses. Mane cum Jesu in cella, quia non invenes alibi tantam pacem. Cella continuata dulcescit, et male custodita taedium generat. Si bene eam incolueris, erit tibi dilecta amica, et gratissimum solatium ⁽⁸⁴⁾.

His verissimis sentiis, quas apud Imitationem Christi legimus, adstipulantur haec verba Statutorum nostrorum: « Secessum ament religiosi nostri, ideoque nunquam cubiculo egrediantur, nisi propter observantiam vel aliam iustam causam; alioquin, huc illuc discurrendo, periculo se exponent in plurimas culpas labendi » ⁽⁸⁵⁾. In cubiculo autem ut pestem otium fugere, studiis incumbere, et SS. Crucifixum ob oculos habere, eodem loco, instantissimis verbis iubentur.

Si clericis amor cubiculi, fratribus labor assiduus ac diligentia in officiis domesticis explendis commendatur. Huius rei, de qua normae omnibus notae in Statutis inveniuntur ⁽⁸⁶⁾, praeclarissima accepimus exempla ex fratribus illis, qui, initio Congregationis, recessus incoluere, in schola ipsius Fundatoris edocti et ad perfectionem formati. Quanta ipsi diligentia domesticis negotiis et officiis incumbabant! Qui ordo, quae accuratio, qui nitor in officinis, ubi iugiter in laboribus erant ad Dei gloriam et Congregationis utilitatem! Labor medium illis erat maioris unionis cum Deo, et illius custodiendae solitudinis, ad quam vocati erant.

His sanctis exemplis sese conformare debent quotquot ex nostris fratribus ad sanctitatem pervenire cupiunt et pacem illam consequi quam Deus diligentibus se repromisit.

Omnibus tandem Sodalibus silentium mandatur, cum, eo sublato, solitudo nullo modo existere possit.

Silentium a S. Patre nostro Legifero in magno pretio habetur, et eximiis laudibus extollitur. « Clavis aurea, ab eo vocatur, ad omnes virtutes conservandas » ⁽⁸⁷⁾; « aureum cultrum, quo passiones et cupiditates reciduntur » ⁽⁸⁸⁾: « fidelis custos religiosarum domorum » ⁽⁸⁹⁾.

⁽⁸⁴⁾ *De Imitat. Christi*, l. 1, c. 20, n. 5-8.

⁽⁸⁵⁾ *Statut.* n. 44.

⁽⁸⁶⁾ *Statut.* n. 256-266.

⁽⁸⁷⁾ *Lett.* II, 625.

⁽⁸⁸⁾ *Lett.* II, 515.

⁽⁸⁹⁾ *Lett.* IV, 231.

Haec Patris nostri verba in laudem silentii satis explicant qua ratione Maiores nostri « eius custodiam maximi facerent » ⁽⁹⁰⁾.

« Cum saeculares homines nostros adibant recessus, maxima afficiebantur admiratione, conspicientes angelicam modestiam religiosorum atque eorum vivendi rationem, solitudine et silentio insignem. Tantum erat apud eos silentium, ut recessus velut habitatoribus vacui viderentur ⁽⁹¹⁾.

Domus e contra, ubi silentium minime servatur, quamvis in locis remotis inveniantur. illo carent religiositatis et recollectionis sensu, qui et saeculares aedificatione, et habitatores fructibus spiritualibus complet.

CONCLUSIO.

Veritates vobis notas et in pretio habitas, ita vobis, Fratres et Filii dilectissimi, in memoriam, his litteris ad communem utilitatem et profectum revocavimus.

Solitudo potissimum elementum est spiritus vocationis nostrae, ut Regulae et Statutorum praescriptiones determinant et documenta Patris nostri, qua verbis qua exemplis, confirmant.

Ad hanc solitudinem amandam movere nos debet thesaurus bonorum, quae ex ea promanant, et quorum laudes Scriptura, historia et ratione celebrantur.

Sit igitur nobis « beata solitudo » in amore et in deliciis, omnemque curam et sollicitudinem impendamus ad eam sancte custodiendam, sive in ea commorando, sive cavendo ad inutilibus visitationibus et colloquiis, sive recessum in cubiculo, laborem et silentium amando.

Tales tunc erimus « homines mundo mortui et a rebus creatis alieni ⁽⁹²⁾, Christi bonus odor facti in omni loco » ⁽⁹³⁾, et in omni opere bono fructificantes, quales Fundator noster requirit, et exigit proprius vocationis nostrae spiritus.

Tunc etiam Sodalitas nostra, grano sinapis similis, in agro

⁽⁹⁰⁾ *Sylloge praecip. Consuet.* n. 336.

⁽⁹¹⁾ *Memorie dei primi compagni di S. Paolo della Croce*, pag. 9.

⁽⁹²⁾ *Lett.* IV, 226.

⁽⁹³⁾ *Lett.* IV, 23.

dominico plantata, in dies crescet, ramos suos protendet a mari usque ad mare, multum fructum proferet, et Deus per illam magna beneficia Ecclesiae et societati praestabit ⁽⁹⁴⁾.

Nos felices, Fratres, si huic nostrae vocationi et spiritui factis obsecundabimus! Expleto terrenae peregrinationis tempore, Fundator noster nos tanquam filios veros agnoscet, et suae excipiet gloriae participes.

Hanc gratiam Deus, qui potens est vos confirmare in vero spiritu Congregationis, concedere dignetur, auspice benedictione, quam effuso corde cunctis impertimus.

Romae, die 21 Novembris, in festo Praesentationis B. M. V. 1939.

L. ✠ S.

TITUS A S. PAULO A CRUCE, *Praep. Generalis.*

ALOISIUS A S. CAROLO, *Secretarius.*

Haec Epistola, in patrium sermonem translata, publice in triclinio legatur, tum cum accepta fuerit, quod de cetero iam praescriptum est (Acta C. N. vol. XIII, pag. 147), tum in sacris Novendialibus S. Patris Nostri Legiferi et Assumptionis B. Mariae Virginis anno 1940.

(⁹⁴) *Lett. II, 122.*

EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

P I I

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XII

APOSTOLICA ADHORTATIO

AD SACERDOTES ET CLERICOS

IN EXERCITUS ORDINES ADSCITOS

Asperis commoti anxietatibus et sollicitudinibus belli, quod omni ope, at frustra deprecari conati sumus, vehementius vestram sortem condicionemque dolemus, dilectissimi Nobis sacerdotes et clerici, qui, subita correpti procella, sacri ministerii opera ac tranquilla doctrinae domicilia reliquistis et ad signa militaria, ad arma deducti estis.

Haud assuefacti vitae generi quam nunc ducitis, improvise rerum eventu stipendia meretis in castris stativis, in nosocomiis, in erraticis valetudinariis, ipsa in bellantium acie utpote sacerdotes de militibus spiritalem curam habentes, magna autem ex parte obeuntes munia vocationi vestrae dissentanea.

Ubi cumque estis, Vicarii castrenses seu Capellani maiores vos sedulo, vigili, paterno prosequuntur obtutu. In ipsorum opere fidenter acquiescimus, quia id sapienti disciplina temperatum est, quia insomne est, quia salutaribus innititur consiliis. Qua re haud dubitandum est, quin ipsi in sua cuiusque patria operam navent quoquo versus magno in pretio habendam ac salutaribus fructibus opimam, quia officii conscientia permoti ad ardua quaevis agenda sunt parati. Tam sollertem navitatem confirmata fiducia Nostra honestamus vobisque libenter memoramus, ut in provisos vestros sitis grati eisdemque docili voluntate obsequamini: praepositi enim mandata sibi commissa expedite persolvere valent, si subiecti sponte eorum praeceptis obsecundent.

Ut nec vos ipsi nec viri vestrae curae crediti spiritualibus careatis solaciis, in animo habemus facultatibus iam a Nobis Vicariis castrensibus seu Capellanis maioribus nationum vel regionum ubi bellum aut ad arma convocatio est vel erit concessis, alias praeter ordinem adicere. Hac ex re patentior innotescet vobis effusus paternae caritatis affectus, quo vos in molestias et angustias adductos diligimus.

Vicariis castrensibus seu Capellanis maioribus huiusmodi concredita a Nobis cura Nos e munere, quo tenemur, non eximit, vobis directo sensus animi Nostri aperiendi itemque vos tanto in discrimine hortandi ut quae novae vitae ratio deponit, diligenter animadvertatis et impigre perficiatis, vocationis vestrae consideratione et afflatu incitati.

Spiritus, qui suetae actioni vestrae praesidebat, licet vestis mutetur, exuendus vobis non est. Inter tela is vos afflet, sicut tum contigebat, cum domi sacerdotii vestri partes explebatis. Caelestis Pater, qui vos ad altaria arcessivit, Ipse est, qui sivit vestras piorum studiorum laborumque consuetudines abrumpi. Ad Se vos vocavit — id mementote — non tantum divino cultui mancipandos, cuius absolute nequaquam sacerdotium catholicae Ecclesiae terminatur, verum etiam hac de causa, ut sitis Dei verbi praecones, Evangelii satores, pro Christo lega-

tione fungentes, Cuius debetis quam maxime diffundere notitiam, excitare desiderium, accendere amorem. Vestrum esto beatissimi Pauli Apostoli propositum, qui gloriabatur se nihil scire, nihil afferre gentibus nisi Christum et hunc crucifixum. Christum haud minus testimonio vitae quam oris is advehebat in omnia loca, omni tempore, privatim ac publice, sive cum posset caerulea convexa caeli suspicere, sive cum vinculis detineretur. In carcerem coniectus, ubi ad se ventitantes excipiebat et Dei regnum libere praedicabat, ad Philippenses scripsit: *Scire autem volo, fratres, quia quae circa me sunt magis ad profectum venerunt evangelii* (Philipp., I, 12).

Permisit modo Deus, ut, suetis relictis muneribus, ad exercitum adiungeremini ad homines scilicet institutis, moribus, doctrina et artibus, religione varios, haud raro averso animo a Deo, Iesu Christi et Evangelii nescios, fidei vel rudimentorum expertes, de omnibus negotiis sollicitos potius quam de iis, quae ad animos spectant eorumque sempiternam beatitatem. Dei miseratio en vos misit ad eos, qui vos fortasse aspernabantur, qui recusabant a vobis accipere verbum salutis et gratiam Iesu Christi Servatoris nostri; hos ad vos allicit, vestrorum laborum et periculorum, vestrarum asperitatum et aerumnarum socios.

Iusto aestimate pretio quod fluens fert hora. Nolite ad hominum captum modumque adiuncta iudicare, unde praesens rerum asperitas consecuta est, sed in his inspicite caelestis Patris voluntatem, quae optima semper et adoranda elicit e malis bona, quaeque, per vos ad militaria signa advocatos, tot inter ruinas, devios deerrantesque ad rectae fidei semitam et ad christianae disciplinae mores perducere cupit. Quod annitentibus cuncta vobis possunt prodesse, propterea quod quo magis sacerdos apostolico studio ardet ad strenue agendum, eo crebriores carpit secundas occasiones, eo patientiores invenit aditus. Quod autem praecipuum est, sub patriis signis militantes pro Ecclesia quoque ita militate, ut tamquam viva e forma Christi apostolatus relucescat. Ita vero, etiam tacentes, eritis, si in primis officiorum vestrorum fida custodia et absoluta morum integritate vocationi vestrae honorem detuleritis.

Vos igitur eo monemus hortatu, quo Paulus Apostolus compellebat Philippenses, ut ii cum gentibus civium usus societatemque habentes, virtutum decore fidem, qua profitebantur, honestarent: *Digne Evangelio Christi conversamini* (Philipp.,

I, 27). Et iterum: *Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravae et perversae inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (ibid., II, 14-15).

Eluceat e vobis semper indoles administratorum Dei. Tales cum sitis, officii vestri estote retinentissimi, praepositis vestris in exemplum, salva Dei lege, obsequimini, dura hilares sustinete; at nullo pacto nulloque tempore iis indulgete, quae futilia, corrupta, vituperanda circa vos intuemini. Severis instructi moribus, nescientes cum malo pacisci aut id mulcere vel contrahere, exemplis saltem vestris aliena vitia castigate. Nequaquam autem prohibet, quin, evangelica mansuetudine comite, ipsi vos omnia omnibus faciatis ut omnes Iesu Christo lucrificiatis, haec morum severitas, ceterum militari disciplinae consentanea, cuius singularis nota est impavidi pectoris fortitudo. Animi utique firmitate inter ceteros praestare debetis, ut ubique palam libere vos sacerdotes aut sacerdotii candidatos demonstretis.

Quodsi Evangelii spiritu inflati, qui quidem spiritus est libertatis, sicut et Apostolus gentium, efficitis vos omnium servos, cum liberi sitis ex omnibus, ut plures lucrificiatis (*I Cor.*, IX, 19), eiusdem Apostoli oportet crebro in memoriam revoce-
tis salubria consilia, sapientiae plena, quae vestrum dirigant in agendis rebus iter: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant* (*I Cor.*, X, 22-23).

Si ita cogitaveritis, salutari auctoritate movebitis eos qui vos circumdabunt homines et, vel nescii vel conscii, in animorum praecordiis aliquid boni seminis ponentis, quod in terram iactum, testante Domino, germinat et succrescit, etiamsi deses maneat sator (*Marc.*, IV, 26 seq.). Vobis persuasum erit, vos non neglexisse fidei vestrae commissa mandata ac Iesum Christum, divinum praeceptorem vestrum, pro viribus, variis hominum classibus esse confessos.

Vos quidem unius cuiusque ordinis civibus, artes exercentibus liberales et operosas, doctis et indoctis, ingenio praeditis tractabili et moribus duris, inter strepentia arma, cognitum facietis evangelicum nuntium redemptionis et salutis, neque noxam committetis commilitones ad id opinandum inducendi, in Christi asseclis, imo in iis, qui ad sempiternam assequendam

vitam sunt ductores, facta cum dictis discrepare. Ecclesiae multorum conciliabitur benevolentiam et gratiam ac, decore in patrio exercitu militantes, multos parabit vobis amicos, quos haud difficulter ad fidei semitam traducetis aut vestros efficietis auxiliares.

Numquam denique ex animo vestro excidat hortamen a Paulo Apostolo datum glorioso illo aevo fidelibus, cum per cruciatus et dolores maturescebat Ecclesiae triumphus: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (Rom., XII, 21).

Videte igitur, dilecti Filii, quam latum agrum Dei Providentia generosa virtute excolendum attribuerit vobis e sacerdotalis ministerii tranquilla perfunctione et e sacris Seminariis dimotis. Est cur de his sincero pectore gloriemini pura haurientes solacia, quae etiamsi nequeant extinguere, minuunt tamen cuncta adversa et aspera bello vobis illata.

Ceterum nonne dolores quae dicimus, quae docemus, quae agimus fecundant? Patiendo utique magis quam operando Veritati bonum reddimus testimonium.

Multa praeterea vobis istis in adiunctis acquirenda sunt, quae animis vestris proderunt. E variis enim et aerumnosis militiae discriminibus quantum rerum hominumque usum desumere potestis, vestrae in agendo rationi sapientiam additurum et virtuti vestrae necnon apostolico labori vestro virilis roboris maturitatem quandam ingesturum. Non dispendia, sed commoda sacerdotio vestro afferet id temporis, quod in curriculo vitae vestrae perniciosum videtur intervallum, si prudentes fueritis, si coram Domino ambulaveritis, si numquam Eius averteritis manum, quae perpetua celebranda laude vos in terra deserta et in via et iniqua sursum et ad potiora producit.

Verumtamen ambulare coram Deo ac Dei numquam relinquere ductricem dexteram idem est — hoc vos haud latet — ac studiose christianam colere pietatem, cuius ope tantum mens sublime ascendit et recte agendi assiduis votis inardescit. Potestne fieri, ut inter gladios et tela evangelicae pietatis flos redoleat? Ita vero est. Reliquis praetermissis documentis, revocate memoriam eorum hominum, sanctitatis lumine fulgentium, qui e militari ordine prodierunt. Qui, dum disciplina adstringuntur vestrae haud dissimili, vixere iunctissimi cum Deo et pro Deo, quoniam unum summopere quaerebant, videlicet cunctis satisfaciendo officiis divinam implere voluntatem. Vos ipsi ubi-

cumque et semper Dei beneplacitum scrutari eidemque, etiam reluctante natura, adhaerere omni ope studete: hic vester cotidianus sit labor, hoc facile tutumque sit viae compendium ad eam pietatem, quae in praesenti statu et condicione sacerdotali vocationi vestrae fido tutamini erit ac toto vitae vestrae cursu ad optima quaeque exantlanda valido incitamento et stimulo.

Ut autem complendae divinae voluntatis constanti voto et magno desiderio afficiamini, oportet — quis dubitet? — spiritus precum vobis, novorum officiorum perfunctione detentis, haud languescat et torpeat, sed intimo flammescente igne dilatetur. Assiduum ei praebeant alimentum cum Eucharisticum Sacrificium devote actum aut Panis fortium fervide sumptus, tum ea omnia, quae diuturno fidelium usu comprobata, Spiritus Sancti aspirante gratia, quam maxime eo conducunt, ut hominum animi se culpis absterneant et virtutes solidiores usque appetant. Difficiliter christifidelibus praesertimque sacerdotibus tantae negotiorum molestiae contingere possunt, ut prohibeantur, quin, quodammodo se introrsum inflectentes, crebro piis vacent meditationibus, bene et male acta in se attente inquirent, ardenti studio divinum Magistrum ac Dominum coram sacris Tabernaculis saepe, proh! dolor, desertis adorent, unde Is ad se venientes infusa gratia collustrare et corroborare solet.

Quam plurimum potestis, dilectissimi Nobis, hanc pietatem vobis comparate, hac ditamini. Qua comite, pericula ubi, sinente Deo, versamini, ita suscipietis, ut ipsi meritorum proventum assequamini, fratres autem commilitones vestri uberes colligant salutis fructus: nam administer Evangelii sive iuvamine operis sive miserentis animi indulgentia proximis suis cuncta est semper dare paratus.

Conspecti undique studiosa indagazione ab hominibus, vestrum honorate sacerdotium, honorate Ecclesiam, cuius bene multum in vos suscepistis onus. De patria ita insigniter merebimini, cuius cives arduo in discrimine exempli vestri praestantia erexeritis, eorum animos in tranquillum redigentes itemque ad fortiter agendum et ad maiora sibi imposita officia obeunda excitantes. Certatim vobis gratias persolvent matres et sponsae, quas ipsarum caros iuvando multipliciter solati eritis. Praemio vobis erit rei bene gestae conscientia, quae vobis intus susurrabit etiam ista tempestate non diminutum sacerdotium vestrum esse, sed Spiritus munere, actionis efficientia, devotionis pro-

pensione adauctum. Ante omnia autem — quod plurimi ducendum est — animadvertetis vos a Deo fallere nescio probari itemque ad vos ipsos humiles, verum puro gaudio gestientes quasi praeivium iudicium coronaturi olim vos Iesu evangelicum adhiberi promissum: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est* (Matth., X, 32).

Firma demum freti fiducia desiderii Nostri exspectationem impletum iri, vos, dilecti Filii, paternis prosequimur votis, valde cupientes, ut animo et corpore optime valeatis, et a periculis semper absitis. Ac, dum Deum exoramus, ut vobis et universis hominibus calamitosum belli tempus corripiat et, redintegrata cito populorum pace, vos ad quietas sacerdotalis ministerii sedes vel ad sacrarum disciplinarum optata studia restituat, Apostolicam Benedictionem, paternae Nostrae benevolentiae testem, libenti volentique animo vobis impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die VIII mensis Decembris, in festo Immaculatae Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, a. MDCCCXXXIX, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. XII.

(*Ex ephemeride « L'Osservatore Romano » diei 8 decembris 1939*).

PRIMUM HABETUR CONSISTORIUM PRO CANONIZATIONE
B. GEMMAE GALGANI.

Mane diei 11 Decembris SS. mus Dominus Noster Pius PP. XII, in Palatio Apostolico Vaticano, Consistorium secretum habuit, in quo Em. mus Card. Carolus Salotti, Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus, compendiosa narratione vitam retulit, virtutes et miracula Beatarum MARIAE A S. EUPHRASIA PELLETIER, monialis professae ex Ordine Dominæ nostrae a caritate, fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore, et GEMMAE GALGANI, virginis saecularis, ac insuper acta universa in causa Beatificationis et Canonizationis earumdem, quae sacrorum Rituum Congregatio, praevio rigoroso examine, admisit et approbavit.

Relatione expleta, Summus Pontifex Eminentissimorum et

Reverendissimorum Cardinalium suffragia exquisivit « An scilicet deveniendum sit ad solemnem praefatarum Beatarum Canonizationem », et singuli Cardinales, ordine servato, surgentes et detecto capite, per verbum *Placet* unanimi consensu affirmative responderunt.

De tam felici exitu Sanctissimus Dominus ex corde gratulabatur et Deo Optimo Maximo plurimas gratias agebat.

Praedictum Consistorium est primum ex tribus, quae solemnem Canonizationem praecedere debent.

(*Ex ephemeride « L'Osservatore Romano » diei 12 decembris 1939*).

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Prot. N. 2096/1939

INSTRUCTIO

CIRCA PRUDENTIOREM DE REBUS MISSIONALIBUS TRACTANDI RATIONEM

Non semel animadvertit haec Sacra Congregatio in periodicis commentariis atque in libris de opera missionali necnon in publicis de eadem re sermonibus, ita aliquando depingi mores, cultum, indolem, statum gentium quibus advehenda est Catholica Fides, ut videantur earum potius mala quam bona efferri. Quod quidem nullo adverso animo fieri, quin potius eo solummodo consilio ut ardentior excitetur amor in fratres nondum luce Christi fruentes abundantioraque auxilia suppeditentur operibus religionis et caritatis, nemo certe dubitaverit; id tamen quam absonum sit a mutua inter populos urbanitate, quantum immo aequitatem laedat et iustitiam, quantum denique indignationem iure in iis gentibus excitet de quibus huiusmodi narrantur, facile patet cuivis consideranti quid ipse sentiret si de sua ipsius patria pariter loquentes nosset exteros.

Eo magis autem omnino devitanda apparet talis se gerendi ratio, quod opinionem ingenerare potest falsam et missionariis iniuriosam eorumque ministerii successui perniciosam: eos scilicet non accedere ad gentes ea cum cordis caritate, qua, non

metientes alios modulo suo, studeant aperto et propenso animo eas comprehendere et existimare et amare.

Itaque Sacra haec Congregatio enixe commendat omnibus de re missionali sive scripto sive sermone tractantibus, ut de aliis nationibus loquantur eadem prorsus observantia, qua ipsi ab alienis de sua patria sermonem haberi desiderant.

Quam circa rem, prae mente insuper habeant, nitere gentes non paucas, in quibus opus missionale exercetur, antiquo nobilique vitae cultu humanitateque; ita ut ipsae aegre indignanterque ferant si indiscriminatim cum iis populis recenseantur et quasi aequentur, qui passim minus evoluti, ut dicitur, habentur. Neque fas esto ex singulis casibus generalem ingerere iniuriosam et falsam de cuncto populo opinionem.

Quae sapientissima divus Paulus dedit monita prae oculis semper habeantur eaque pervigili studio observentur: « Nemi- ni dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros » (2 COR. 6, 3 sq.).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 9 Iunii 1939.

PETRUS Card. FUMASONI-BIONDI, *Praefectus*.

† CELSUS COSTANTINI, Archiep. tit. Theodos.,
Secretarius.

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA (*Officium de Indulgentiis*).

DECRETUM

DE BENEDICTIONE PAPALI OPE RADIOPHONICA ACCEPTA.

Iam pridem multisque ex partibus supplices ad Sanctam Sedem libelli pervenerunt, per quos postulabatur ut qui Apostolica Benedictione a Summo Pontifice Urbi et Orbi solemnibus occasionibus imperita una cum plenissima admissorum venia praesentes frui nequirent, possent tamen plenariam Indulgentiam adipisci, si ope radiophonica eandem benedictionem pia devotaque mente acciperent.

Iamvero, re mature studioseque perpensa, infra scriptus Cardinalis Paenitentiarius Maior, in Audientia die 10 currentis mensis et anni habita, causam eiusmodi Beatissimo Patri decernendam proposuit. Augustus Pontifex vero, relatione audita ab eodem Cardinali facta, ac valde percipiens ut ea, quae progrediens aetas per humanarum disciplinarum studia inve-xerit, saluti animarum procurandae inserviant, decernere ac statuere dignatus est ut cum praesentes tum ii qui quovis spatio absentes, ope tamen radiophonica, Benedictionem a Summo Pontifice Urbi et Orbi impertitam pie devoteque accipiant, plenariam Indulgentiam, suetis conditionibus, lucrari possint.

Mandavit autem Sanctitas Sua ut praesens Decretum publici iuris fieret.

Contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiari etiam mentione dignis.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 15 Iunii 1939.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior*.

L. ✠ S.

S. LUZIO, *Regens*.

(A. A. S., vol. XXXI, pag. 277).

ACTA CURIAE GENERALIS

COMMUNICATIONES ET MONITA

I.

DE RELATIONIBUS EXAMINUM ROMAM MITTENDIS

Non ab omnibus Provinciis pari diligentia Romam mittuntur relationes de examinibus annualibus sive clericorum sive neo-sacerdotum; ideo Rev.mus P. Praepositus Generalis iam in sua prima Epistola maiorem sollicitudinem urgebat (*Acta C. N. XIII*, pag. 402). Hucusque tamen admodum paucae relationes pervenerunt de praescriptis examinibus neo-sacerdotum (can. 590). Iterum igitur monentur Adm. RR. PP. Provinciales, ut huiusmodi relationes Romam mittant, sedulo notantes quam ob causam aliqui Sacerdotes exempti fuerint.

II.

DE NECROLOGIIS TEMPESTIVE ROMAM MITTENDIS

Ne ultra mensem Martium huius anni retardetur editio memoriarum Sodalium defunctorum, quas vulgo *Cenni necrologici* vocamus, curent Rectores ut cito ad Secretarium Generalem C. N. mittant memorias Sodalium, qui anno 1939 in suo Recessu obierunt. Quod si tempestive non pervenerint, non amplius imprimentur, uti iam declaratum est (*Acta C. N. XIII*, pag. 516).

POSTULATIO GENERALIS

OBLATIONES PRO CAUSIS BEATIF. ET CANONIZ. C. N. PROMOVENDIS.

E RECESSU SS. JOANNIS ET PAULI. — A. R. P. Marianus Cons. Gen., L. 20; ipse Recessus, L. 236.

E PROVINCIA B. M. V. DOLOROSAE. — Recessus: S. Sosii (*Falvatterra*), L. 50; S. Mariae Pulianensis (*Paliano*), L. 80.

E PROVINCIA B. M. V. A PIETATE. — Recessus: B. M. V. a Stella, L. 100; S. Gabrielis a Virg. Perd., L. 265; Iesu et Mariae (*Moricone*), L. 60; S. Angeli in Pontano, L. 130; S. Iustinae, L. 131; Ephemeris « *L'Eco di S. Gabriele* », L. 82.

E PROVINCIA S. PAULI A CRUCE. — Recessus S. Ioseph (*Baltimore*), Doll. 145.

E PROVINCIA S. MICHAËLIS ARCHANGELI. — Recessus Immaculatae Conceptionis (*Hardinghem*), Frs. 400.

E PROVINCIA PURISSIMI CORDIS B. M. V. — Recessus: S. Francisci Assis. (*Brugnato*), L. 10; Nostrae Dominae a S. Cassiano (*Cameri*), L. 50.

E PROVINCIA A LATERE CHRISTI. — Ephemeris « *Il Sacro Costato* », L. 50.

E PROVINCIA S. FAMILIAE. — Recessus: Nostrae Dominae de Guadalupe (*Tacubaya*), L. 333; Iesus de Monte (*Habana*), L. 748. — Pa-roecia loci Caibarien (*Cuba*), L. 1602.

E PROVINCIA S. GABRIELIS A VIRGINE PERDOLENTE. — Recessus: S. Antonii Patav. (*Courtrai*), Frs. 390; SS. Cordis Iesu (*Diepenbeek*),

Frs. 50; S. Gabrielis a Virg. Perd. (Cruyshautem), Frs. 1055; S. Ioseph (Wesembeek), Frs. 450; S. Pauli a Cruce (Natoye), Frs. 100.

E PROVINCIA PRETIOSISSIMI SANGUINIS. — Recessus: SS. Ioannis et Pauli (Peñafiel), L. 50; S. Ioseph (Peñaranda), L. 45; B. M. V. Lapurdensis (Barroselas), L. 100.

E PROVINCIA MATRIS S. SPEI. — A. R. P. Clemens Praep. Prov., L. 1000; Recessus S. Gabrielis a Virg. Perd. (Haastrecht), Flor. 600.

E PROVINCIA CALVARIII. — A. R. P. Camillus Praep. Prov., L. 450; Recessus Calvarii (S. Paulo), L. 100.

Romae, die 4 Decembris 1939.

AEGIDIUS IOSEPH A SS. CORDIBUS
Postulator Generalis.

CHRONICA CONGREGATIONIS NOSTRAE

PROFESSIONES, ORDINATIONES SACRAE, ELECTIONES

Romae in Recessu SS. Ioannis et Pauli. — Ordinationes sacrae.

— Die 23 Septembris 1939, in Ecclesia S. Marcelli, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Aloisii Traglia, Archiep. Caesareae et Vicesgerentis Urbis, P. Gerardus ab Immaculata Conceptione Presbyteratus Ordinem suscepit; die vero 3 Decembris 1939 eodem sacro Ordine insignitus fuit ab eodem Exc.mo Praesule in sacello Collegii Leoniani de Urbe P. Lucas a Praesentatione B. Mariae V.; ambo e Provincia Calvarii.

Ex Prov. Praesentationis B. M. V. — Ordinationes sacrae. —

Die 3 Decembris 1939, in sacello Collegii Leoniani de Urbe, per manus Exc.mi ac Rev.mi Aloisii Traglia Archiep. Caesareae ac Vicesgerentis Urbis, in Sacerdotes cooptati sunt: PP. Emmanuel a Corde Iesu, Damasus a S. Corde, Dionysius a Cruce, Dominicus a S. Teresia ab Infante Iesu, Anacletus a Virgine Perdolente, Amideus a Cruce, Paulus ab Immaculata.

Professio perpetua. — In Recessu SS. Salvatoris ad Scalam Sanctam, die 2 Decembris 1939, vota perpetua emisit *Confr. Hildebrandus a Iesu Agonizante.*

Ex Prov. B. M. V. Dolorosae. — *Ordinatio sacra.* — Die 23 Septembris 1939, in sacello privato Episcopi Verulani, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Francisci De Filippis. Ep. Verulani, presbyteratus Ordinem suscepit *P. Christophorus a S. Maria*, e Recessu S. Mariae Pulianensis (Paliano).

Professio perpetua. — Die 8 Septembris 1939, in Recessu S. Mariae ad Montes (Neapoli), vota perpetua nuncupavit *Confr. Fidelis a Iesu Crucifixo*.

Ex Prov. Purissimi Cordis B. M. V. — *Ordinationes sacrae.* — Die 30 Iulii 1939, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Iosephi Castelli Ep. Novarien., in sacello episcopali, sacrum Presbyteratus Ordinem suscepit *P. Achilleus a Cruce*, e Recessu B. Mariae V. a S. Cassiano (Cameri); die vero 12 Novembris 1939, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Hadriani Bernareggi Ep. Bergomensis, eodem sacro Ordine insigniti sunt: *PP. Paschalis ab Assumptione B. M. V.*, *Remigius a Matre S. Spei*, *Guido a V. Perdolente*, *Titus a B. Gemma Galgani*.

Professiones perpetuae. — In Recessu S. Pancratii M. (Pianezza) vota perpetua emisit, die 4 Octobris 1939, *Confr. Franciscus Antonius ab Assumptione B. M. V.* In Recessu S. Gabrielis a V. Perdolente votis perpetuis se obstrinxit, die 13 Octobris 1939, *Confr. Laurentius a Iesu et Maria*. In Recessu B. Mariae V. « delle Rocche » (Molare) eadem vota nuncupaverunt: die 21 Septembris 1939, *Fr. Hermannus ab Immaculata*; *Fr. Valens a Iesu Crucifixo*; die 6 Novembris 1939, in Recessu B. M. V. a S. Cassiano, *Fr. Laurentius a V. Perdolente*.

Electio extracapitularis. — Cum munus Rectoris in Recessu B. M. Virginis a S. Cassiano (Cameri) vacasset ob renuntiationem Adm. R. P. Victorini a S. Aloisio, Curia Provincialis, iuxta Regularum nostrarum praescripta, die 15 Septembris 1939, ad idem officium elegit Adm. R. P. *Ferdinandum a S. Ioseph*; quam electionem ratam habuit et confirmavit Rev.mus Praepositus Generalis die 20 eiusdem mensis.

Ex Prov. a Latere Christi. — *Professiones perpetuae.* — In Recessu Purissimi Cordis B. M. V. (Novoli) vota perpetua emiserunt: die 10 februarii 1937, *Confr. Casimirus a S. Antonio*; die 6 Martii 1938, *Confr. Gerardus a S. Carolo*.

Ex Prov. S. Familiae. — *Professiones temporariae.* — In Recessu B. M. V. « del Villar » (Corella), die 23 Octobris 1938, vota tem-

poraria emiserunt *Confratres*: *Marianus a Iesu Crucifixo, Aemilius a SS. Sacramento, Theodorus a V. Perdolente, Aurelianus ab Immaculata, Franciscus a Pretiosiss. Sanguine, Ramirus ab Immaculata, Laurentius a Maria Virgine, Philippus a SS. Sacramento*; et die 29 Novembris eiusdem anni *Confr. Eusebius a Corde B. M. Virginis*.

Ex Prov. Sanctae Crucis. — *Professiones perpetuae.* — In Recessu S. Pauli a Cruce (Detroit), die 25 Iulii 1938, vota perpetua emiserunt *Confratres*: *Germanus a SS. Crucifixo, Romanus a Maria Immaculata, Edmundus a SS. Corde, Gregorius a Purissimo Corde Mariae, Haroldus a S. Teresia ab Infante Iesu, Cyprianus a SS. Sacramento, Faustinus a SS. Sacramento*; die vero 26 Iulii 1939, *Confratres*: *Canutius a Iesu Infante, Iacobus a Matre Dei, Gualterius a Iesu Infante, Cajetanus a Septem Doloribus, Lucianus a SS. Nomine*. In Recessu vero S. Francisci de Hieronymo (Kansas) eadem vota nuncuparunt *Frates*: *Conradus a Passione, die 28 aprilis 1938, et Eduardus a Spinea Corona, die 16 Augusti 1939.*

Ex Prov. S. Gabrielis. — *Professiones perpetuae.* — In Recessu SS. Cordis Iesu (Diepenbeek), vota perpetua emiserunt *Confratres*: *Hippolytus a Quinque Vulneribus, die 18 Septembris 1939, et Florentius a Matre Dolorosa, die 7 Octobris 1939.*

Ex Prov. Pretiosissimi Sanguinis. — *Professio perpetua.* — In Recessu S. Joseph (Peñaranda del Duero), die 21 iunii 1939, vota perpetua emisit *Fr. Raphael a Virgine Perdolente.*

Ex Comissar. Germanico. — *Ordinationes sacrae.* — Die 6 Augusti 1939, in Ecclesia Recessus S. Mariae Protectricis (Maria Schutz), per manus Em.mi ac Rev.mi D. Theodori Innitzer, Card. Archiep. Vindobonensis, in sacerdotes cooptati sunt: *PP. Rodolphus Maria a Redemptione et Gulielmus Maria ab Infante Iesu.*

VARIA NOTATU DIGNIORA

DE SODALIBUS NOSTRIS IN POLONIA.

Fere nihil scimus de sorte Sodalium nostrorum in Polonia degentibus. Exorto bello, cum exercitus Germanorum victor progredieretur, magistratus Poloniae praeceperunt ut cives periculo expositi domos et

urbes relinquerent atque in locum tutiorem se reciperent. Ideo omnes nostri, relictis recessibus, in diversas partes abierunt, unusquisque in suam regionem. Pater Julius Vice-Provincialis, P. Germanus eiusdem Consiliarius, P. Pius novitiorum Magister, et alii Varsaviam confugerunt. At duo Patres Itali Germanus et Pius, sicut omnes alienigenae Varsaviae commorantes, coacti sunt a patria auctoritate civili urbem relinquere, spe accepta illuc redeundi statim ac urbs hostibus se tradiderit. Putabant ipsi in aliquo loco non longe ab urbe se posse consistere, sed contra in Germaniam ducti sunt et cum aliis fere sexaginta profugis Italis Romam missi.

Durante itinere humanissime a Germanis tractati sunt. Ad stationem Berolinensem, quo noctu pervenerunt, eos expectabat Nuntius Apostolicus, Exc.mus D. Orsenigo, qui suo autocineto eos ad se reficiendum duxit ac deinde in domum quamdam Sororum, ut quiescerent; mane iterum eos invisit et ad stationem profecturos comitatus est.

Sic feliciter Romam pervenerunt; nunc instanter postulant ab auctoritate civili Germanica permissionem in Poloniam quamprimum redeundi.

Quid factum sit de aliis, qui in Polonia remanserunt, quid de recessibus nostris nescimus. Ex aliqua epistola novimus tantum P. Remigium in urbem Lithuaniae Kaunas confugisse; P. Zdzislaum in recessum Sadowiensem revertisse.

BENEFACTORES COOPTATI

Die 15 Augusti 1939, precibus exhibitis a Rev.mo P. Praeposito Prov. Praesentationis B. M. V., domini BARDINI DANTES ET SOPHIA, eorumque familia, loci *Gavorrano*, dioecesis Grossetanae.

Die 18 Octobris 1939, precibus exhibitis ab Adm. Rev. P. Praeposito Prov. B. M. V. a Pietate, dominus QUINTUS LATINI, eiusque familia, loci *Melano*, dioecesis Fabrianensis.

Die 18 Octobris 1939, precibus exhibitis ab Adm. Rev. P. Praeposito Prov. Pretiosissimi Sanguinis, domina RAMONA CANGA FERNANDEZ, eiusque familia, loci *Mieres*, dioecesis Ovetensis.

BIBLIOGRAPHIA

MONITUM

Meminerint Superiores et Scriptores Sodalitatis nostrae omnium operum quae a nostris eduntur, etiamsi tantum novae editiones sint, trina exemplaria ad Secretarium Generalem Congregationis mittenda esse, tum ut in Archivo Generali Congregationis et in sacro Museo ad Scalam Sanctam erecto omnia a nostris edita opera, licet exiguae molis, haberi et servari possint, tum ut de iisdem in hoc Commentario notitiam dare valeamus.

P. FLAVIANO, PASSIONISTA, *La Vergine SS. della Rocca, notizie e preghiere* (Alessandria della Rocca, 1939), pag. 157, cm. 14×9.

Occasione sollemnis incoronationis veneratissimae imaginis B. Mariae Virginis della Rocca, quae locum habuit die 27 Augusti nuper elapsi, Auctor noster, Superior domus novitiatus prope Sanctuarium eiusdem B. Virginis, in Sicilia, hanc edidit opellam, in qua originem et cultum sacri simulacri atque historiam sanctuarii diligenter investigat ac narrat. In secunda parte plures addit preces, devota exercitia, cantica, in honorem sive Dei Genitricis sive aliorum Sanctorum, ad christianam pietatem fovendam.

GALILEO VENTURINI S. J., *Il processo del Redentore meditato*; parte prima pag. 319, parte seconda pag. 274 (Messaggero del S. Cuore, 1939), cm. 15,5×10,5.

Notum facere volumus Sodalibus nostris egregium hoc opus de Passione Domini, ab eximio oratore sacro, in Italia notissimo, P. VENTURINI S. J. exaratum. In quinquaginta meditationibus cl. Auctor piam animam ducit ad recolenda quae Dominus noster passus est ab horto Gethsemani ad Calvariam pro salute mundi, per manus hominum impiorum. Non integram Passionem narrat, sed varias depingit scenas; personas, actiones, verba considerat, ea mente ut clare appareat quam iniusta fuerit ratio agendi tum Synedrii Ierosolymitani tum Pilati in causa illa, quae, cum prima elementa iuris violaverit, improprie tantum vocari potest processus. Iuxta methodum S. Ignatii de Loyola, cuilibet meditationi tria generatim praeludia praemittuntur; meditatio tribus punctis evolvitur, per partes distinctis; habentur in fine colloquium, obsequium, iaculatoria.

Opus maxime commendant fidelissima narratio historica, ordo et claritas expositionis, opportuna applicationes, elegantia sermonis, devota unctio, quae omnia pervadit et suaviter efflat. Magno cum fructu illud adhibere poterunt Sodales, non tantum ad pie meditandum sed etiam ad concionandum.



DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

DE NUNTIO FUNEBRI

In exarando nuncio funebri nunquam omittatur: Nomen Congregationis vel Instituti; dies, mensis et annus mortis; nomen loci tam sacrum quam saeculare; nomen Provinciae; nomen religionis et saeculi defuncti vel defunctae; dies, mensis et annus primae professionis.

Nuncium vero a Rectore domus, in qua defunctus morabatur, mittendum est tum ad Secretarium Generalem tum etiam ad singulos Provinciales, aliosque Superiores iuxta normas in novis Statutis n. 150 editas.

32. — *Die 23 Julii 1939*, in religiosa domo S. Sebastiani (Kilcullen), Soror M. ALOISIA IOS. A MATRE DEI (Bridget Plunkett), Instituti SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. (Bolton), quae, nata anno 1867, vota nuncupaverat die 4 Octobris 1892.

33. — *Die 23 Julii 1939*, in religiosa domo S. Cordis (Halifax), Soror M. LEONTIA IOS. A MATRE DEI (Alice Davey), Instituti SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. (Bolton), quae, nata anno 1866, vota nuncupaverat die 8 Decembris 1892.

34. — *Die 12 Septembris 1939*, in Monasterio Praesentationis, M. MARIA MAGDALENA A IESU CRUCIFIXO (Francisca Giacchetti), quae, nata anno 1874, vota nuncupaverat die 14 Septembris 1897.

35. — *Die 11 Iunii 1939*, in Provincia S. Pauli a Cruce, P. CASIMIRUS A S. LANCEA (Georgius Taylor), qui, natus anno 1859, vota nuncupaverat die 5 aprilis 1880.

36. — *Die 5 Julii 1939*, in Recessu SS. Crucis (Dunkirk), Prov. S. Pauli a Cruce, P. RONANUS A S. PANCRATIO (Jacobus O' Connor), qui, natus anno 1875, vota nuncupaverat die 21 Septembris 1896.

37. — *Die 28 Septembris* 1939, in Recessu Praesentationis B. M. V. (Orbetello), Prov. Praesentationis B. M. Virginis, P. RAPHAEL A S. FAMILIA (Franciscus Bondini), qui, natus anno 1901, vota nuncupaverat die 14 Octobris 1917.

38. — *Die 15 Octobris* 1939, in religiosa domo Matris Dolorosae (St. Annes on Sea), Instituti Sororum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. (Bolton), M. PRISCILLA JOSEPHA A SS. SACRAMENTO (Maria Anna Birmingham), quae, nata anno 1866, vota nuncupaverat die 15 Augusti 1891.

39. — *Die 15 Octobris* 1939, in religiosa domo S. Gabrielis (Manchester) Instituti Sororum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. (Bolton), M. SEBASTIANA JOSEPHA A SACRIS CORDIBUS (Joanna Magee), quae, nata anno 1850, vota nuncupaverat die 21 Novembris 1868.

40. — *Die 16 Octobris* 1939, in Recessu Sanctae Crucis (Belfast), Prov. S. Patritii, P. KIERANUS A SEPTEM DOLORIBUS (Thomas Farrelly), qui, natus anno 1887, vota nuncupaverat die 11 Februarii 1909.

41. — *Die 30 Octobris* 1939, Romae, in Nosocomio Sororum Societatis Mariae, Prov. B. M. V. a Pietate, P. JEREMIAS A S. GABRIELE (Mercuri Argentinus), qui, natus anno 1889, vota nuncupaverat die 18 Octobris 1905.

42. — *Die 11 Novembris* 1939, in Recessu S. Pancratii M. (Pianezza), Prov. Purissimi Cordis Mariae, Frater ARCHANGELUS A S. PAULO A CRUCE (Montagnini Eligius), qui, natus anno 1908, vota nuncupaverat die 19 Julii 1933.

43. — *Die 17 Novembris* 1939, in Recessu S. Michaelis Archangelis (Vetralla), Prov. Praesentationis B. M. V., P. ALEXIUS A S. PAULO A CRUCE (Maglia Joannes), qui, natus anno 1872, vota nuncupaverat die 6 Novembris 1888.

44. — *Die 29 Novembris* 1939, in Recessu Passionis D. N. J. C. (Deusto), Prov. SS. Cordis Iesu, P. GABRIEL A SS. CORDE IESU (Michael Amézola Bernaola), qui, natus anno 1870, vota nuncupaverat die 17 Junii 1890.

45. — *Die 4 Decembris* 1939, in religiosa domo S. Sebastiani (Kilkullen), Soror M. LIVINA IOSEPH (Maria Dullea), Instituti Sororum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. (Bolton), quae, nata anno 1916, vota nuncupaverat die 4 Decembris 1939.

46. — *Die 7 Decembris* 1939, in Recessu S. Antonii Patav. (Courtrai), Prov. S. Gabrielis a Virg. Perd., Fr. PETRUS AB IMMACULATA

CONCEPTIONE (Petrus Tyolle), qui, natus anno 1866, vota nuncupaverat die 29 Septembris 1907.

47. — *Die 14 Novembris* 1939, in Recessu N. D. *del Pilar* (Lima), Prov. SS. Cordis Iesu, P. HIPPOLYTUS A PRESENTATIONE (Jacobus Belaustegui Arroeta), qui, natus anno 1882, vota nuncupaverat die 12 Decembris 1898.

48. — *Die 8 Decembris* 1939, in religiosa domo S. Birgittae (Ballycastle N. I.), Instituti Sororum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C. (Bolton), Soror M. CONLETHA IOSEPH A IESU (Maria O' Neill), quae, nata anno 1894, vota nuncupaverat die 15 Augusti 1914.

ALII SODALES, PROV. PRETIOSISSIMI SANGUINIS, IN HISPANIA (MATRITI?) A COMMUNISTIS OCCISI ANNO 1936. (Cf. *Acta C. N.* vol. XIV, pag. 127-128).

32. — P. CAROLUS A SS. SACRAMENTO (Emmanuel M. Nogueiro), qui, natus anno 1891, vota nuncupaverat die 17 Ianuarii 1909.

33. — P. MICHAEL A SS. ROSARIO (Gabriel Pérez Díaz), qui, natus anno 1895, vota nuncupaverat die 24 Aprilis 1916.

Imprimatur: TITUS A S. PAULO A CRUCE Praep. Gen.

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, PASSIONISTA) *Direttore responsabile*

Finito di stampare il 30 dicembre 1939 nella Tipografia Agostiniana - Roma.

Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

PUBLICUM HABETUR CONSISTORIUM PRO CANONIZATIONE B. GEMMAE GALGANI VIRGINIS.

Summus Pontifex Pius PP. XII, die 7 Martii nuper elapsi, hora 11, in aula benedictionis publicum habuit Consistorium pro Canonizatione B. Gemmae Galgani Virginis.

Ad hunc finem Beatissimus Pater, sella gestatoria vectus, pluviali rubro indutus et aurea mitra redimitus, sacro Cardinalium Collegio aliisque Praelatis de more comitantibus, in praedictam aulam venit, cantoribus Pontificiae Capellae, Rev.mo D. Laurentio Perosi magistro, concinentibus antiphonam « Tu es Petrus », dum omnes, qui aulam stipabant, devote genua flecebant, Benedictionem Apostolicam accepturi.

In Solio cum sedisset, Em.mi Patres unus post alium, servato dignitatis ordine, ad eum accesserunt, ut obedientiam praestarent. Interim chorus canebat « Exultate Deo », Palestrina auctore. Mox, a Rev.mo Caeremoniarum Sedis Apostolicae Praefecto invitati, ante Solium Pontificis constiterunt Augustus Milani et Aloisius Philippus Re, Advocati Consistoriales, et primus quidem B. Mariae a S. Euphrasia Pelletier, alter vero B. Gemmae Galgani Canonizationem peroravit, quam orationem in alia parte huius fasciculi referimus.

Utrique supplicationi Rev.mus D. Antonius Bacci ab epistolis ad Principes, nomine ipsius Pontificis, haec respondit:

« Novis hisce sanctitudinis gemmis fulgens Ecclesiae exornare diadema simulque nova virtutum exempla hominibus ad

imitandum proponere, valde exoptat Augustus Pontifex, qui quidem ea etiam de causa avet postulationi votisque vestris concedere, ut Pontificatus Sui cursus harum duarum virginum consecratione decoretur, in Petrianae Basilicae majestate sollemniter habenda.

« Nostis praeterea quantopere indigeat Ecclesia, indigeant in praesens populi omnes caelestibus Patronis. Etenim quo magis superbit saeculum, eo miserius undeunde increscere videmus spiritualem eius egestatem. Remissa vel restincta in multorum animis divina caritate, ac christiana debilitata fide, oriuntur proh dolor ac gliscunt passim cum immodicus sui ipsius amor, tum mutua odia, invidiae simultatesque. Ubi enim superna negleguntur, quae mortalium mentes nobilitant, et ad excelsa evahunt, nihil aliud restat, nisi terrena discupere acriter, eaque quovis modo ad se rapere ac vindicare. Itaque multis jam locis non in privatae solummodo, sed in publicae etiam vitae conditionibus, incertitudines trepidationesque ingravescentes cotidie incedunt omnia; atque ubi etiam homines inter se non digladiantur, anxietudo quaedam, quasi immane in universos jam ingruat discrimen, omnium animos praeoccupat dubiosque tenet.

« Quis igitur poterit tot exagitatis obumbratisque mentibus supernam impertire lucem serenamque tranquillitatem? Quis poterit dissociatam perturbatamque hominum familiam amico fraternoque foedere iterum componere, eidemque non saeva, quae destruunt, arma, sed candidae pacis, quae prosperitatis felicitatisque incremento refovet, ornamenta donare? Deum unum id posse haud dubium est, a quo res, eventus ac vel libera ipsa pendet humana voluntas.

« Apud eum igitur novis quam primum uti posse deprecatricibus sanctitatis fulgore decoratis, beatis nempe virginibus Maria a S. Euphrasia Pelletier ac Gemma Galgani, id ut solacio omnibus erit, imprimisque Summo Pontifici, ita omnium spem alet augebitque fore ut benignissimus Deus malorum, quibus premitur aetas, finem maturet, melioraque tandem aliquando tempora affulgere jubeat. - Nihilo secius Sanctitas Sua, quamvis rem properare vehementer cupiat, ut tamen est legitimarum Apostolicae Sedis consuetudinum custos religiosissimus, gravissimam hanc causam antea decernere non vult, quam in Consisto-

rio Semipublico, quod IV die habebitur proximi mensis Aprilis, Purpuratos Patres sacrorumque Antistites, qui ad suam cuiusque mentem hac super re aperiendam convenerint, sententiam de more rogaverit. Interea vero per me vos omnes admonet, quotquot adestis, ut Spiritus Sancti lumen, vestris adhibitis precibus, menti Suae pietissime concilietis ».

Demum Summus Pontifex solemniter rito Apostolicam Benedictionem praesentibus impertivit, et in sella gestatoria, eadem pompa qua venerat, aulam reliquit, omnes paterne benedicens, dum chorus triumphalem acclamationem « Tu es Petrus », ab ipso Magistro Perosi musicis notis exceptam, repetebat. Consistorium finem habuit hora 12.

(Ex ephemeride L'Osservatore Romano diei 8 Martii 1940).

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM.

Proposito Supremae Sacrae Congregationi S. Officii dubio: « An licita sit directa sterilizatio sive perpetua sive temporanea, sive viri, sive mulieris », E.mi ac Rev.mi Patres DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, feria IV, die 21 Februarii 1940, respondendum decreverunt:

« *Negative* et quidem prohiberi lege naturae, eamque, quoad sterilizationem eugenicam attinet, Decreto huius S. Congregationis, die 21 Martii 1931, reprobata iam esse ».

Et feria V, die 22 Februarii 1940, Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII, in audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Assessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii die 24 Februarii 1940.

ROMULUS PANTANETTI

Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

DE CONSISTORIO SEMIPUBLICO AD EXQUIRENDA SUFFRAGIA PRO CANONIZATIONE BEATARUM: MARIAE A SANCTA EUPHRASIA PELLETIER ET GEMMAE GALGANI, VIRGINUM.

Peractis iam de more Consistoriis tum secreto, tum publico, diebus decima prima mensis Decembris anni 1939 et septima huius mensis Martii in Palatio Apostolico Vaticano, SS. mus Dominus Noster Pius, Div. Prov. Pp. XII Consistorium semipublicum die quarta proximi mensis Aprilis habendum decrevit, in quo exquiret Episcoporum sententiam pro canonizatione Beatae Mariae a Sancta Euphrasia Pelletier, monialis professae ex Ordine Dominae Nostrae a Caritate, fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore, et Gemmae Galgani, virginis saecularis.

Quapropter SS. mus praescribit ut omnes Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati et Abbates *nullius*, qui sunt intra centesimum ad Urbe lapidem, si possint, Romam tempestive petant, praefato Consistorio intersint, suffragium suum, *brevissima oratione*, edituri et solemni canonizationi, si in eodem Consistorio indicta fuerit, suo tempore adsistant. Ceteros vero Antistites de his quae supra memorantur certiores reddidit, laetus quidem si ad eundem finem romanum iter suscipere velint.

Ne autem locorum Ordinarii frequentibus itineribus nimium graventur, Sanctitas Sua benigne indulget, ut qui sive occasione Consistorii Romam convenerint sive praefatis solemniis adfuerint, proxima vice ab obligatione sacra Limina visitandi eximantur; salvo onere remittendi ad hanc Sacram Congregationem Relationem de statu dioecesis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 8 Martii 1940.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis*.

L. + S.

(Ex ephemeride L'Osservatore Romano diei 17 Martii 1940).

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(*Officium de Indulgentiis*).

ORATIO AD D. N. IESUM CH. CRUCIFIXUM INDULGENTIA PARTIALI DITATUR.

PREGHIERA A GESU' CROCIFISSO.

O Gesù, che, per il tuo ardentissimo amore verso di noi, hai voluto essere crocifisso e versare il tuo preziosissimo Sanguine a redenzione e salvezza delle anime nostre, riguarda a noi qui raccolti nel ricordo delle tua dolorosissima passione e morte, fiduciosi nella tua misericordia; purificaci, con la tua grazia, dal peccato, santifica il nostro lavoro, dona a noi e ai nostri cari il pane quotidiano, addolcisci le nostre pene, benedici le nostre famiglie e concedi ai popoli, afflitti da dure prove, la tua pace che solo è la vera, affinché, obbedendo ai tuoi precetti, perveniamo alla gloria celeste. Così sia.

Die 15 Ianuarii 1940.

Ss. mus D. N. Pius divina Providentia Pp. XII, in Audientia infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, benigne largiri dignatus est partialem quingentorum dierum Indulgentiam omnibus christifidelibus qui Feria sexta in Parasceve, hora decima quinta, qua D. N. I. C. in Cruce expiravit, supra relatam orationem pia mente ac saltem corde contrito recitaverint. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione et contrariis quibuslibet minime obstantibus.

L. CARD. LAURI. *Paenitentiarius Maior.*

S. LUZIO, *Regens.*

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBLA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones
authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae se-
quuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula :

DE INDULGENTIIS LUCRANDIS

D. An confessarii, vi canonis 935, commutare possint visitatio-
nem ecclesiae determinatae, etiam ad lucrandas indulgen-
tias *toties quoties et Portiunculae* nuncupatas.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 19 mensis Ianuarii, an-
no 1940.

M. Card. MASSIMI, *Praeses*.

L. + S.

I. BRUNO, *Secretarius*.

(A. A. S., vol. XXXII, pag. 62).

Documenta Pontificia Congregationis Nostrae

SACRA RITUUM CONGREGATIO

I.

*Rescriptum S. R. C., quo dispensatur a disceptatione super
validitate cuiusdam processiculi apostolici in causa Servi
Dei Galilaei Nicolini, novitii.*

N. 20. 18. 939.

DECRETUM.

NULLIUS SS. VINCENTII ET ANASTASII
AD AQUAS SALVIAS
BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
SERVI DEI

GALILAEI NICOLINI
NOVITII CONGREGATIONIS PASSIONIS

R. mus P. Aegidius a SS. Cordibus, Postulator Gen. C. P.
ad pedes Tuae Sanctitatis provolutus, humiliter petit dispen-

sationem a disceptatione super validitate processiculi, ex officio, auctoritate apostolica in Urbe confecti super peculiari quaestione ad virtutes spectante Servi Dei Galilaei Nicolini, Novitii C. P., eo quod praefatus processiculus instructus fuit praesente R. P. D. Promotore Fidei Generali. Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII, attentis expositis peculiaribus adiunctis, referente R. P. D. Salvatore Natucci, in audientia diei 24 Ianuarii 1940, benigne dignatus est annuere pro gratia iuxta preces.

Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 24 Ianuarii 1940.

CAROLUS Card. SALOTTI, S. R. C. Praefectus.

L. + S.

A. CARINCI, S. R. C. Secretarius.

II.

DECLARATUR PRIVILEGIUM CIRCA MISSAM ET OFFICIUM B. V. DEL PILAR.

N. C. 9. 40.

Rev.mo Procuratori Generali Congregationis Passionis D. N. J. C.

Petitioni tuae qua ex postulabas ab hac S. C. gratiam extensionis ad provincias Congregationis Passionis quae exstant in America Latina, privilegii iam concessi provinciis Hispaniae circa Missam et Officium B. V. del Pilar, Sacra haec Congregatio ita censuit respondendum: « Cum agatur de una eademque regulari provincia, apostolico indulto non indigere. Die 4 Martii 1940 ».

Dum haec pro officio communico, omnia fausta in Domino adprecor Rev.mo Procuratori Generali.

L. + S.

HENRICUS DANTE, *Subsecr.*

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS.

CONSTITUTIONES SORORUM PASSIONISTARUM A S. PAULO A CRUCE ADPROBANTUR ET CONFIRMANTUR.

Sanctissimus Dominus noster Pius divina Providen. Pp. XII die 21 Martii anni 1939, per Decretum S. Congregationis Negotiorum Religiosorum Sodalium praepositae, benigne dignatus est definitive adprobare et confirmare Constitutiones Sororum

Passionistarum a S. Paulo a Cruce, quarum domus princeps in Archidioecesi Florentina, in loco v. Signa, in Italia extat.

Nota. — Institutum Sororum Passionistarum a S. Paulo a Cruce loci Signa finem habet animum reformandi puellarum, quae vel periculo labendi sunt expositae vel lapsae sunt. Ortum habuit initiis saeculi XIX cura et opera marchionissae Magdalenae Frescobaldi, matris marchionis Hygini Capponi, quae aegre ferens dispersionem Sodalitatum religiosarum, civili Societati tam bene facientium, exoptavit Florentiis Institutum condere suis sumptibus.

Anno 1814 Summus Pontifex Pius VII optimum consilium probavit ac benedixit; ideoque marchionissa Frescobaldi statim coetum sacrarum virginum instituit, quas « oblatas Passionistas » vocavit, iisque, in domum solitariam seu recessum collectis, munus commisit puellas periculo labendi expositas vel lapsas ad bonam frugem reducendi.

Mortua pia institutrice, eius filius operis curam suscepit. Verum necessitate urbis Florentiae ampliandae, domus illa anno 1865 eversa est. Tunc Hyginus Capponi stipendium Sororibus dedit, ut in diversa pia Instituta se reciperent, et vitam religiosam persequi possent. Duae tamen, Superiorissa scilicet nomine Soror Crucifixa Tognoni, et nam minima Soror Pia Frosali, oppidum Signa petierunt, ubi Rev.mo D. Josepho Fiammetti Parocho duce opus tam utile puellis instaurarunt.

Anno 1872 praedictae duae Sorores cum alia pia juveni quae se illis adiunxerat, religioso habitu indutae sunt, atque scholas habere coeperunt ad instituendas puellas tum parentibus orbatas tum pauperes eiusdem oppidi et circumiacentium locorum. Anno 1877 Rev.mus D. Fiammetti contractum fecit cum Administratione iudiciorum, ut ex omnibus Italiae partibus illuc puellae mitterentur. Novum hoc Institutum tunc vocatum est Institutum Sororum Passionistarum a S. Paulo a Cruce.

Hodie in diversas Italiae regiones propagatum est atque in Brasiliam. In domo loci Castel di Signa nunc habentur 140 puellae, Sorores omnes 300 numerantur.

Institutum Sororum Passionistarum a S. Paulo a Cruce primam approbationem ecclesiasticam habuit die 17 Junii anno 1931, definitivam vero approbationem, ut ex relato Rescripto patet, die 21 Martii 1939. Ab anno 1934 etiam agnitione civili gaudet.

ACTA CURIAE GENERALIS

COMMUNICATIONES ET MONITA

I.

DE QUIBUSDAM EMENDATIONIBUS FACIENDIS IN EDITIONE LATINA STATUTORUM NOSTRORUM.

Cum in editione latina officiali Statutorum nostrorum quaedam sint vel obscura vel non recte expressa, Curia Generalis ad praecavendam falsam interpretationem sequentes emendationes fieri mandavit:

N. 58 legitur:

« In omnibus Recessibus ubi studium formale adest, dies S. Gabrielis a Virgine Perdolente, S. Thomae Aquinatis et S. Aloisii Gonzagae festivi habeantur. Missa in cantu celebrabitur ac reliquia exponetur iuxta ritum consuetum. Festa S. Gabrielis et S. Aloisii Recessibus etiam Novitiatus conceduntur. In solemnitate autem S. Gabrielis a Virgine Perdolente, cum agatur de peculiari iuvenum nostrorum Studentium ac Novitiorum compatrono, pro ipsis Missa in cantu applicetur ».

Ita vero legendum:

« In omnibus Recessibus ubi studium formale adest, dies S. Thomae Aquinatis et S. Aloisii Gonzagae festivi habeantur. Missa in cantu celebrabitur ac reliquia exponetur iuxta ritum consuetum. Festum S. Aloisii Recessibus etiam Novitiatus conceditur. In solemnitate autem S. Gabrielis a Virgine Perdolente, in omnibus Congregationis Recessibus celebranda, cum agatur de peculiari iuvenum nostrorum Studentium ac Novitiorum compatrono, pro ipsis in unaquaque domo Missa in cantu applicetur ».

N. 125 sic integre reformetur:

« Consultores Generales, Procurator ac Secretarius Generalis, praeter ea quae n. 38 dicta sunt, his aliis quoque iuribus fruuntur. Religiosum comitem deligere possunt, cum domo egrediuntur, et, absente Praeposito Generali, dignior eorum epistolas excipit, quae e diribitorio proveniunt, et benedictionem dat sive ad homiliam in matutino sive dum corporis voluntaria verberatio fit. In domo generalitia, quando Praepositus abest, et in omnibus aliis domibus, absente Praeposito tum Generali tum Provinciali, dignior eorum tintinnabulum in mensa tenet, suetam mortificationem, diebus statutis, in triclinio assignat, Communitatem sero post Rosarii recitationem aqua lustrali aspergit. In sola autem domo generalitia, absente Praeposito, Religiosi sive egredientes sive domum redeuntes a digniore eorum « *benedicite* »

petere debent. Quod si a Praeposito dignior velut sui vices gerens constitutus ac denunciatus fuerit, cunctas eius partes agat ».

»N. 130 legitur in fine:

« Cum domo egrediuntur, religiosum comitem sibi deligere possunt; ac, cum abest Praepositus Provincialis, litteras e diribitorio provenientes ac benedictionem dant ad homiliam in matutino ac dum corporis voluntaria verberatio fit ».

Ita vero legendum:

« Cum domo egrediuntur, religiosum comitem sibi deligere possunt; atque, absente Praeposito Provinciali, dignior eorum litteras excipit e diribitorio provenientes et benedictionem dat sive ad homiliam in matutino sive dum corporis voluntaria verberatio fit ».

N. 183 legitur:

« Ad Confessarios ad studium excitandos, et magis idoneos huic exsequendo tam sancto ministerio reddendos, semel in hebdomada statim post lectionem spiritualem quae fit in choro, habebitur solutio casus moralis et liturgici... ».

Ita vero legendum:

« Ad Confessarios ad studium excitandos, et magis idoneos huic exsequendo tam sancto ministerio reddendos, semel in hebdomada statim post lectionem spiritualem quae fit in choro, vel post orationem mentalem, si haec post vespertas fiat, habebitur solutio casus moralis et liturgici...».

N. 243 legitur:

« ... Quocumque anni tempore in meditatione vespertina (studentes) choro exhibunt post primam dimidiam orationis horam ».

Ita vero legendum:

« ... Quocumque anni tempore, diebus quibus vespere scholam habent, in meditatione vespertina de choro exhibunt post primam dimidiam orationis horam ».

II.

DE ADVENTU SODALIU IN URBEM AD SOLEMNIA CANONIZATIONIS B. GEMMAE GALGANI VIRG.

Proximo mense Maio, valde probabiliter die 2 in festo Ascensionis Domini, solemnias fieri CANONIZATIONIS B. GEMMAE GALGANI, cui tam arcto vinculo dilectionis Sodalitas nostra coniungitur.

(1) Haec communicatio omnibus Praepositis Provincialibus iam facta est ab Adm. R. P. Secretario Generali.

Cum ea de causa plurimi Sodales nostri in animo pium votum fo-
veant Romam veniendi, Curia Generalis his votis, quantum possibile
est, obsecundare cupiens, in congressu habito die 29 Januarii nuper ela-
psi statuit, ut ex singulis Provinciis, vel ipsi Superiores Maiores vel alii
Sodales, *tres ad summum*, a Praeposito Provinciae cum suis Consulto-
ribus deligendi, Romam venire permittantur, eorumque nomina tempe-
stive Rectori huius generalitiae domus nuntientur, quo melius neces-
saria pro hospitio et victu parentur, omniaque secundum ordinem
fiant.

Valde quidem optabile foret et Curiae Generali gratissimum ut ex
omnibus Provinciis aliqui Sodales solemnissimo ritui in Basilica Vati-
cana assistere possent, cum commune omnium sit gaudium; attamen,
cum non omnium locorum circumstantiae his temporibus eadem in-
veniantur, cumque difficultates et itineris pericula quam plurima oc-
currere possint, Curia Generalis iisdem Provincialibus relinquit ut pro
sua prudentia consilium itineris conficiendi ex tempore et circumstan-
tiis capiant.

POSTULATIO GENERALIS

I.

ACTA IN CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVORUM DEI O. N.
DURANTE ANNO 1939.

Die 24 Januarii. — LUCEN. IN ITALIA. — Habetur in Aedibus Va-
ticanis coram Summo Pontifice Pio XI *Congregatio Generalis* super
duobus miraculis pro Canonizatione B. GEMMAE GALGANI, *Virginis*.

Die 24 Martii. — ROMANA seu MACERATEN. et TOLENTINEN. — Ro-
mae absolvitur *processiculus apostolicus* super adserto miraculo, quod
tribuitur intercessioni B. VINCENTII M. STRAMBI, *Episcopi*.

Die 26 Martii. — LUCEN. IN ITALIA. — Electus Summus Pontifex
Pius XII coram Se legi iubet *Decretum*, iam a praedecessore manda-
tum, quo duo miracula adprobantur, proposita pro Canonizatione
B. GEMMAE GALGANI, *Virginis*.

Die 1 Maii. — ROMANA seu MACERATEN. et TOLENTINEN. — Cen-
tumcellis publicatur *processus apostolicus* super quodam adserto mi-
raculo, tributo intercessioni B. VINCENTII M. STRAMBI, *Episcopi*.

Die 2 Maii. — LUCEN. IN ITALIA. — In Aedibus Vaticanis habetur *Congregatio Generalis* coram Summo Pontifice super *Tuto Canonizationis B. GEMMAE GALGANI, Virginis.*

Die 3 Maii. — LUCEN. IN ITALIA. — Datur venia Apostolica *aperiendi Lucae Urnam*, in qua asservatur corpus G. GEMMAE GALGANI, ut extrahantur particulae Reliquiarum, distribuendae de more occasione Canonizationis.

Die 27 Maii. — ARIMINEN. — Fit potestas Archiepiscopo Firmano *interrogandi seorsim duos testes de visu*, consodales Congregationis nostrae, qui iusta de causa petere nequeunt Ariminum, ubi in proximo construendus est processus apostolicus super virtutibus in pecie *Servi Dei PII A S. ALOISIO, Clerici professi.* — Praefati testes, PP. Salvator et Angelus Aloisius, examinati sunt mense Augusti sequentis.

Die 12 Julii. — ROMANA seu SABINEN. — In oppido « Moricone » inchoatur et absolvitur processus ordinarius *super non cultu* praestito Servo Dei BERNARDO M. A JESU, *Praeposito Generali C. N.*

Die 18 Julii. — ROMANA seu SUTRINA. — Habetur in Aedibus Vaticanis *Congregatio ordinaria particularis* in qua Cardinalis Ponens Rossi, retulit *de validitate processuum tum auctoritate ordinaria tum apostolica constructorum* super virtutibus et miraculis in specie *Servi Dei LAURENTII M. A S. FRANCISCO XAVERIO, Sacerdotis professi C. N.:* die sequenti editum est *Decretum adprobationis.*

Die 23 Julii. — LUCEN. IN ITALIA. — Summus Pontifex coram Se legi iubet *Decretum de Tuto Canonizationis B. GEMMAE GALGANI, Virginis.*

Die 10 Augusti. — ROMANA seu SABINEN. — Facultas datur *aperiendi processum de non cultu* praestito Servo Dei BERNARDO M. A JESU, *Praeposito Generali C. N.*

Die 4 Septembris. — ROMANA seu MACERATEN. et TOLENTINEN. — *Prorogatur tempus utile* pro absolute processum apostolici super quodam miraculo, tributo intercessioni B. VINCENTII M. SRAMBI, *Episcopi:* annus de more concessus die 13 Septembris abibat.

Die 25 Septembris. — ROMANA seu MACERATEN. et TOLENTINEN. — Centumcellis absolvitur processus Apostolicus de quo supra. Die 28 Septembris fiebat potestas eundem aperiendi. Verum, iustis de causis, tum iste processus, tum processiculus Romae conditus nequeunt procedere ad ulteriora.

Die 28 Septembris. — ARIMINEN. — Datur facultas Archiepiscopo Tarentino in Apulia, *interrogandi quemdam testem de visu*, qui ne

quit pectere Ariminum, ubi conditur processus apostolicus super virtutibus in specie *Servi Dei Pii* a S. ALOISIO, *Clerici professi*.

Die 2 Octobris. — ARIMINEN. — Arimini inchoatur *processus apostolicus*, de quo supra.

Die 23 Novembris. — NULLIUS SS. VINCENTII ET ANASTASII. — Romae inchoatur processiculus apostolicus super peculiari quaestione, quae respicit virtutes in specie *Servi Dei GALILAEI NICOLINI, Novitii C. N.*; et mense sequenti fuit absolutus.

Die 11 Decembris. — LUCEN, IN ITALIA. — In Aedibus Vaticanis habetur *Consistorium Secretum*, in quo Cardinalis Praefectus Salotti *retulit* de virtutibus et miraculis B. GEMMAE GALGANI in ordine ad Canonizationem.

II.

OBLATIONES PRO CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS PROMOVENDIS

E RECESSU SS. IOANNIS ET PAULI: A. R. P. Ioachim, *Cons. Gen.*, L. 50; A. R. P. Maurus, *Procurator Gen.* L. 160; Recessus, L. 68; collecta in Basilica, L. 111. — A. R. D. Iulius Battisti, *Parochus S. Saturnini de Urbe*, L. 1.000. — E PROVINCIA PRAESENTATIONIS: R. mus P. Titus, *Praepositus Provincialis*, L. 300; A. R. P. Petrus, *Consultor Provinc.*, L. 300; Recessus: SS. *Salvatoris* (Roma), L. 620; Praesentationis B. M. V., (Monteargentaro), L. 65; S. Angeli (Cura), L. 50; Angeli (Vinchiana), L. 25; S. Eutychiei, L. 25; SS. Crucifixi (Borgetto), L. 40; duo Missionarii, L. 75. — E PROVINCIA B. M. V. DOLOROSAE: E Recessu S. Gabrielis Arch. (Airola), L. 100; B. M. V. Angelorum (Sora), L. 45. — E PROVINCIA B. M. V. A PIETATE: E Recessu B. M. V. a Pietate (Recanati), L. 160; B. M. V. de Quercu (Morrovalle), L. 75; N. D. a Sacro Corde (Sammarcello), L. 50; Visitationis B. M. V. (S. Giustina), L. 35; S. Gabrielis a Virgine Perdolente (Isola del Gran Sasso), L. 15; « *Eco di S. Gabriele* », L. 30. — E PROVINCIA S. MICHAELIS ARCHANGELI: « *Revue de la Passion* », francs 886; aliae oblationes, francs 155. — E PROVINCIA PURISSIMI CORDIS B. M. V.: E Recessu S. Francisci Assis. (Brugnato), L. 50; S. Gabrielis a Virgine Perdolente (S. Zenone), L. 70; B. M. Angelorum (Basella), L. 25; « *Il Divin Crocifisso* », L. 898. — E PROVINCIA A LATERE CHRISTI: E Recessu S. Pauli a Cruce (Ceglie), L. 325; S. Francisci Paulani (Fuscaldo), L. 140; « *La Parolina* », L. 100. — E PROVINCIA S. FAMILIAE: E Recessu Sanctae Clarae (Cuba), L. 675; Paroecia S. Clarae, L. 702; N. D.

de Guadalupe (Tacubaya), L. 106; S. Iosephi (Toluca), L. 40,35. — E PROVINCIA PRETIOSISSIMI SANGUINIS: A. R. P. Eduardus, *Praepositus Provincialis*, L. 50; A. R. P. Benedictus, *Consultor Provincialis*, L. 20; E Recessu SS. Ioannis et Pauli (Peñafiel), L. 50; Braga (Portogallo), L. 197. — E PROVINCIA MATRIS S. SPEI: A. R. P. Clemens, *Praepositus Provincialis*, L. 4156,65. — E PROVINCIA CALVARII: A. R. P. Camillus, *Praepositus Provincialis*, L. 3.000; Recessus Curitiba (Brasile), L. 120. — E PROVINCIA S. PATRII: A. R. P. Hadrianus, *Praepositus Provincialis*, L. 2.348,25. — E COMMISSARIATU POLONIAE: Recessus Sadowiae, L. 50.

Die 4 Martii 1940.

P. AEGIDIUS IOSEPH A SACRIS CORDIBUS.
Postulator.

III.

ORATIO HABITA AB ADVOCATO CONSISTORIALI ALOYSIO-PHILIPPO EE IN
CONSISTORIO DIEI VII MENSIS MARTII 1940 PRO CANONIZATIONE B. GEM-
MAE GALGANI VIRGINIS.

Beatissime Pater,

Optimos Virginitatis flores non tantum in memoriam redigere hominum, sed etiam in exemplum proponere atque in Tutelares destinare, Tui Summi Pontificii muneris est, Beatissime Pater, modo rite probatae fuerint ceterae virtutes heroicae, quibus lampadas suas ornaverint sapientes virgines.

Inter has merito referri potest Beata Gemma Galgani, quae quasi lilium suavem virtutum effundens odorem inter multiplices tribulationum spinas, quae eam undequaque pupugerunt, ob amorem Christi Cruci Confixi vitam peregit.

Beata Gemma Galgani, « cuius ne nomen quidem vacuum laudis est », Camiliani, quod oppidum satis honestum Lucensis Archidioecesis, natalem diem sortita est Henrico Galgani pharmacopola ac Aurelia Landi, optime moratis coniugibus, die quarto ante idus Martias anno millesimo octingentesimo duodeoctogesimo, atque postridie christiano lavacro abluenda tradita Gemma Maria vocata est.

Jam a pueritia facile dignosci potuit, quoniam ipsa esset futura; quippe quae eam coeperit vitae rationem, quae sanctitatem portenderet omnino singularem; nam ludis omnibus, unde puerilis aetas delectationem petere solet, omnino neglectis, erga Jesum Christum ita amore flagrabat, ut tunc temporis etiam in Divini Redemptoris medi-

tandam immo et contemplantam Passionem insatiabili cupiditate traheretur.

Pater cum familia Lucam se transtulit, ubi Gemma septemnis, die septimo ante kalendas Junias, anno millesimo octingentesimo octogesimo quinto, Confirmationis sacramentum accepit.

Paucis post mensibus mater ad meliorem transivit vitam et Gemma, quae octavum agebat annum et tam radicata erat in virtute, uno et divino solacio requiescens, directe ad Tabernaculum convolavit, et oculo fidei conspiciens, corde ardenti vocans, firma spe expectans dilectum Amantem, in tantam venit indigentiam Eum suscipiendi, ut confessarius, ne candida columba suo amori succumberet, tanto desiderio satisfacit, licet vix novem esset annorum.

Pater vero, cum arduum ipsi videretur morum natae conformationi prospicere, Helenae Guerra, quae instituti Oblatarum Spiritus Sancti, vulgo sororum Sanctae Zitae, fundatrix erat, non modo literis erudiendam, sed etiam pietatis sensibus imbuendam commisit. Ibi quidem, primo ejus adventu, omnium animos in se convertit. Nec immerito, quippe quae nec minimas sui officii negligeret partes, aequalibus indulgeret et sui ipsius semper ita compos virtuteque protracta, ut animum a terrenis abstractum et in superna abreptum manifesto ostenderet.

Ita quasi liliū adolescebat et omnes suae virtutis fragrantia movebat.

Sed Dominus fidelem ad majora expectabat virginem quae, sicut Jesu comes, ita Crucis socia erat futura!

Quintum decimum agebat annum cum, gravi morbo correpta, quo per tres menses in lectulo se continuit, jussu patris medicisque suadentibus, ad suam domum est reversa.

Deinceps, recuperata sanitate, domi mansit de fratribus sollicita et de pauperibus.

Sed Dominus, ut supra innuimus, ex sua impenetrabili voluntate, liliū spinis internatum esse statuerat. Revera, paulo post Gemmae pater, ob aliorum fraudem in summam cadebat egestatem, dein aegritudine confectus, cancroque gulae dilaniatus, e vivis ereptus est, dum acerbi creditores e domo Gemmae, quae poterant asportabant.

In tanto discrimine rerum pia juvenis, in propinquo pago « *Ca-maio-re* » ab amita libentissimo animo est accepta, at Gemma, cum virginitatem suam Jesu illibatam devoverit, occasionem nuptiarum evitandi causa, permissione obtenta, amitam reliquit et sine querela,

immo laeto atque hilari animo, ab opulenta honestaque jucunditate ad miseriam domus denuo reverti voluit.

Adflicta rursus gravi morbo a Pott vocato, scilicet tabe ingenti vi, ideo insanabili, in vitae discrimen est adducta, quare ingravescente morbo, suadentibus medicis, ei Sanctum Viaticum allatum est, sed paucis post diebus, praeter omnium expectationem, mirum in modum ad sanitatem iterum est reducta.

Cum in consueta sua officia reddita esset, libenti ac liberali animo a piissima quadam familia « Giannini » Lucensi accepta est, apud quam, iuxta ac si filia esset, usque ad extremum vitae exitum permansit.

In novo domicilio, ratio vivendi extraordinariae virginis omnino religiosa fuit.

Domo numquam exibat nisi, bis in die, ecclesiam adeundi causa: summo mane ut duabus Missis interesset, quarum altera ad Eucaristicam Mensam accedebat, altera vero, gratias agens, in mirificum quondam divinumque stuporem erepta videbatur; vespere ad accipiendam benedictionem Sanctissimi Sacramenti, Domi humili cuivis negotio operam dabat, sibi infimas reservans operas, ita ut toto tempore, quo cum familia Giannini vixit, repletam omnibus virtutibus se praebuisse, omnes una voce consentiant.

Hoc tempore cum magis magisque ad Christi Passionem acerbissimam contemplandam arderet, magno desiderio mota est se vovendi inter Sacras Virgines a Passione Domini nuncupatas, quae Sanctum Paulum a Cruce conditorem habent; ideoque Antistitam instituti rogavit ut in eandem Congregationem reciperetur, sed Deo sic disponente, tot ortae sunt difficultates (in primis quod pia juvenis gracillimo utebatur corpore), quae impediunt quominus ad voluntatem suam omnia succederent; quare vitam inter homines agere coacta est, ut omnibus efficaci exemplo esse posset.

Nam illa semper vixit eodem elato animo quo ab initio perfusa erat, exemplum praebens summae ac voluntariae paupertatis, mundi omnium oblectamentorum dispectionis, angelicae puritatis, eximiae humilitatis, assidui orandi studii, admirabilis, in tot tantisque corporis animique cruciatibus, patientiae, filialis in Deo, sine limite, fiducia, denique in Deum et in proximum charitatis ardentis.

Sed ardentissimus ac suavissimus in Jesum Christum amor adeo in ea emicuit, ut paucos etiam inter sanctos pares habuerit. Immo tanta fuit mirae eius vitae cum Deo conformitas, ut, Divini Redem-

ptoria instar, sacro suo corpore stigmata mirabiliter impressa, stupentibus omnibus, receperit.

Ita ad aeterna tabernacula properabat!

In pervigilio Dominicae Redemptionis, die tertio ante idus aprilis anno millesimo nongentesimo tertio, magis divini amoris aestu quam vi morbi consumpta ad coelestem sponsum, vinctulis tandem corporis soluta, evolavit, quinto vigesimo anno vix expleto.

Sanctitatis fama quae, Dei famulam viventem, solum intra domesticos parietes fuerat comitata, ea vix demortua potenter erupit, rapidam obtinens diffusionem sine discretionem sive locorum sive hominum.

Qua de causa septem annis post eius mortem in Lucensi Curia, Ordinariis inquisitionibus sive super scriptis, sive super non cultu, rite peractis, die quarto ante kalendas maias anno millesimo nongentesimo vigesimo a Benedicto XV fel. rec. causa est introducta. Postea, expletis omnibus, quae canonicae requirunt leges, cum constaret de virtutibus theologalibus necnon de cardinalibus eorumque adnexis in gradu heroico, et de miraculis, pridie idus maias anno millesimo nongentesimo trigesimo tertio, Dominica quarta post Pentecosten, auctoritate Pii XI sa. me. Gemma Galgani Beatorum in numerum adscripta est.

Non hic tamen fidelium desideria consistebant, eoque magis quod efficax Beatae Gemmae apud Deum patrocinium experti essent.

Etenim primum Elisa Scarpelli, mox nuper Natalis Scarpelli cum Beatae Gemmae patrocinium invocassent, extemplo sanationem ultra naturae vires, unanimi peritorum consensu, consecuti sunt.

Resumpta igitur causa, cum de duobus hisce portentis ex diligenti investigatione certo constiterit, superiore anno, die nono ante kalendas julias a Sanctitate Tua sancitum fuit: « Tuto procedi posse ad sollemnem Beatae Gemmae Galgani, virginis, canonizationem ».

Quapropter, flexis genibus et humili prece, fidelium quippe votis confirmata, hoc Te rogo atque obsecro, Beatissime Pater, ut Beata Gemma Galgani virgo, Coelitum in fastos quantocius referatur.

ALOYSIUS PHILIPPUS RE
Sacri Consistorii Advocatus.

SECRETARIATUS MISSIONUM

I.

MONTUM

Superiores omnes in Missionibus, quae nobis creditae sunt, adlaborantes, rogamus et obsecramus, ut ad secretariatum omnes variationes, quae religiosos operarios respiciunt, quotannis mittant. Nomen, cognomen, Provinciam, catalogi numerum eorum, qui quomocumque Missionem deseruerunt, et eorum, qui eam aggressi sunt, patefaciant; ut Missionum conditiones prae oculis habeantur, et in elenco, qui in hoc tabulario asservatur, inscribantur.

II.

RATIO ANNUA OBLATIONUM PRO MISSIONIBUS NOSTRIS AD INFIDELES
ANNO 1939.

I. — Eleemosynae ex « Missa libera » Sacerdotum Congregationis et stipes a nostris collectae.

Ex Recessu SS. Joannis et Pauli de Urbe	L.	430,—
» Recessibus Prov. Praesentationis B. M. V.	»	710,—
» » » B. M. V. Dolorosae	»	1371,—
» » » B. M. V. a Pietate	»	1140,—
» » » S. Michaelis Arch.	»	162,—
» » » Imm. Conceptionis	»	2856,—
» » » A Latere Christi	»	1900,—
» » » S. Familiae	»	196,35
» » » Calvarii	»	70,—
Privatim a Religiosis nostris	»	230,—

Summa omnium oblationum » 9065,35

II. — Pecunia quae in capsula iam extabat die

1 Ian. 1939 L. 4980,55

TOTUM . L. 14045,90

III. — Expensae in favorem nostrarum Missionum L. 3923,40

Remanent in capsula L. 10122,50

Documenta Historica Congregationis

(Continuatio: « Acta », 1 Aprilis 1939, pag. 69).

CXLV.

BREVE PONTIFICIUM — motu proprio — PII VII, QUO PERFICITUR AB IPSCO SUMMO PONTIFICE ELECTIO SUPERIORUM MAIORUM, ATTENTA GRAVISSIMA DIFFICULTATE COMITIA GENERALIA HABENDI.

(die 21 Junii 1808)

(Ex diplomate originali asservato in Archivo generali).

PIUS PP. VII.

Ad futuram rei memoriam. PRO DEBITO PASTORALIS OFFICII, quo Catholicae Ecclesiae Divina dispositione praesidemus, illorum praesertim virorum regimini prospiciendum nobis esse arbitramur, qui relictis omnibus, sequuti sunt et sequuntur Redemptorem Dominum crucem suam bajulantes. Cum itaque ob notissimas horum temporum circumstantias, Generalia et Provincialia Comitia Congregationis Clericorum Discalceatorum SS.mae Crucis et Passionis D. N. J. C. ex ipsius Congregationis Statutis auctoritate apostolica confirmatis haberi nequeant, in quibus Comitii praecipua dictae Congregationis munia fuissent assignanda, Nos, ne quid detrimenti hinc eadem Congregatio capiat, prospicere volentes, ac de infrascriptorum ipsius Congregationis Clericorum perspecta in muneribus hujusmodi exercendis fide, prudentia, vigilantia et religionis zelo plurimum in Domino confisi, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequend., harum serie absolven, et absolutas fore censentes, MOTU PROPRIO, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine dilectum filium *Josephum Mariam a Crucifixo*, licet ipse a duobus jam sexenniis Praepositi Generalis munus gerat, ac per memorata Congregationis statuta expresse caveatur, ne quis ultra secundum sexennium, idem munus iterum immediate adire valeat, nihilo tamen minus eundem *Josephum* in Praepositum Generalem, dilectos itidem filios *Ignatium a S. Josepho* et

Jacobum a SS. mis Vulneribus in primum et secundum Consultores Generales, et *Valentinum a S. Maria Magdalena Poeniten.* in Procuratorem dictae Congregationis Generalem; nec non *Paulum Aloysium a Maria Virgine* in Praepositum provincialem Provinciae sub titulo Praesentationis B. M. Virginis, ac *Thomam ab Incarnata Sapientia* et *Carolus a Passione* in ipsius primum et secundum Consultores, itemque *Josephum Mariam a Puero Jesu* in Provincialem alterius Provinciae sub titulo ejusdem Beatae Virginis Dolorosae, et *Emygdium a S. Aloysio* in ejus primum Consultorem, vacante altero hujus Provinciae, ut infra substituendo, ad annum proximum tantum confirmamus, et, quatenus opus sit, denuo eligimus cum omnibus et singulis juribus, facultatibus, privilegiis, praerogativis, praeminentiis, auctoritate, gratiis, Indultis, honoribus et oneribus consuetis pro unoquoque ex dictis officiis respective praescriptis et assignatis, cum speciali quoque facultate dicto Generali Praeposito per se, vel per Provinciales confirmandi ad annum praedictum in officio Rectores, etiam si per Congregationis Statuta officio hujusmodi ipsos ulterius fungi expresse vetetur, aut eos amovendi, aliosque substituendi, prout melius in Domino expedire cognoverit. Quoad secundum autem Provincialem Consultorem adhuc vacantem provideri volumus per eos, ad quos ex ipsis statutis electio hujusmodi spectat et ab hisce novus eligatur Consultor. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostro infligendis poenis, omnibus et singulis dictae Congregationis Rectoribus, Clericis et Personis, coeterisque, ad quos pertinuerit, ut eosdem *Josephum Mariam*, coeterosque praedictos in suis respectivis muneribus, illorumque libero exercitio, juxta tenorem praesentium sustineant et admittant, eisque prompte pareant, eorumque monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam, quam contra inobedientes respective tulerint, ratam habebimus, et faciemus, Auctore Domino, ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; ac discernentes, ipsas praesentes Litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac memorato *Josepho Mariae*, aliisque supra nominatis Clericis plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus

super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non dictae Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis Statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haben., illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, coeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut saltem intra mensem post expletum annum proximum hujusmodi, Capitulum Generale haberi debeat, ibique de more alii ad munia obcunda eligantur, atque interim ipse Joseph Maria aliique praedicti in suis respectivis officiis provisorie maneant.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXI Junii MDCCCVIII, Pontificatus nostri anno nono.

L. Card. ANTONELLUS.

Sane anno sequenti 1809, non obstantibus maximis difficultatibus, Generalia Comitata habita sunt. Quoad acta horum Comitiorum P. Bernardus M.a Jesu in HISTORIA ms. haec tradit:

« ... Nelle altre sessioni si parlò sopra diverse cose... e ci sembrano notevoli le seguenti. La pubblicazione di un Breve Pontificio col quale si concede facoltà, che vacando qualche carica di Consultor Generale, di Provinciale o di Procuratore Generale possa eleggersi un altro soggetto, *anche per mezzo di lettera*, quando ALIQUIS ALIQUO IMPEDIMENTO DETENTUS PERSONALITER INTERVENIRE NEQUIVERIT » (1).

« Un decreto con cui si stabilisce che l'orazione mentale del giorno e la recita del Rosario si adempiano come dice la Regola anche in tempo di estate, senza far più uso del Rescritto Pontificio in vigor del quale si era introdotto un metodo diverso (2).

(1) Cfr. num. cxxx, Acta 1 Aprilis 1937, pag. 274.

(2) Cfr. num. cxx, Acta 1 Octobris 1936, pag. 176.

CXLVI.

DECRETUM S. R. C., QUO CONCEDITUR FACULTAS DISCUTIENDI SUPER VIRTUTIBUS S. P. N. QUIN ANNI QUINQUAGINTA AB EJUS OBITU ELAPSI SINT.

(*die 13 Augusti 1808*).

(Ex positione super virtutibus).

Cum per decreta generalia sa. me. Urbani Papae VIII quaestio de virtutibus in gradu heroico Venerabilium Servorum Dei institui nequeat in Congregatione Sacrorum Ritum ante annum quinquagesimum a die eorum obitus, cumque adhuc lapsi tantummodo sint anni triginta tres circiter ab emortuali die VEN. SERVI DEI P. PAULI A CRUCE, qui dies fuit 18 mensis Octobris anni 1775, R. mus Vincentius a S. Paulo Strambi, Episcopus Maceraten., ejusque substitutus P. Paulus Hyacinthus a SS. ma Trinitate ex eadem Congregatione Causae Postulatores SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO VII *Pontifici Maximo* humillime supplicarunt, ut septemdecim circiter anni, quot desunt ad complendum quinquaginta annorum spatium impedimento non sint, quominus Causa proponatur in Sacrorum Rituum Congregatione: et SANCTITAS SUA, me infrascripto Secretario referente, petitam gratiam benigne concessit.

Die 13 Augusti 1808.

L. + S.

A. Card. MATTHAEIUS.

J. DE CARPINEO, S. R. C. *Secretarius*

CXLVII.

RESCRIPTUM S. C. EE. ET RR., QUO LARGITUR FACULTAS ARBORES CAEDENDI FAVORE RECESSUS CORNETANI.

(*Die 12 Januarii 1809*).

(Ex originali asservato in archivio generali).

SUPPLEX LIBELLUS

Beatissimo Padre.

Il Preposito Generale dei Passionisti considerando nocive al prato da raccogliere il fieno certe querce annose e quasi del tutto infruttifere per le ghiande sparse per quel terreno incluso nel Circondario del nostro Ritiro di Corneto, ed avendo que' suoi Religiosi bisogno di legna per il fuoco, prostrato ai piedi della Santità Vostra, umil-

mente baciandoli, La supplica ad accordarle la facoltà di farle recidere. Che della grazia, ecc.

RESCRIPTUM.

Sacra Congregatio E. morum et R. morum S. R. E. Cardinalium, Negociis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, benigne commisit Patri Praeposito Generali oratori, ut veris existentibus narratis, et dummodo arbores sint infructiferae, vel noxiae, petitam facultatem illas caedendi, pro effectu de quo agitur, pro suo arbitrio et conscientia impertiatur.

Romae 12 Ianuarii 1809.

L. + S.

F. Card. IIS CARAFA, *Praefectus*.

J. ARCHIEP. S. THEB. M., *Secretarius*.

CXLVIII.

RESCRIPTA APOSTOLICA, QUIBUS PRAEPOSITO GENERALI SODALITATIS NOSTRAE CONCEDITUR FACULTAS ADMITTENDI NONNULLOS NOVITIOS AD PROFESSIONEM, NON EXPLETO TEMPORE DEBITO PRO NOVITIATU PRAESCRIPTO.

(1808-1809).

Tria sunt huiusmodi Rescripta; omittuntur vero eorum tenores, quia respiciunt casus peculiare, ATTENTIS TEMPORIS CALAMITOSI ADJUNCTIS; in Rescript. sub die 1 Ianuarii 1908 potestas fiebat etiam erigendi ad tempus novitiatum alterum in Provincia Praesentationis B. M. V.

Chronica Congregationis Nostrae

I.

PROFESSIONES, ORDINATIONES SACRAE, ELECTIONES

Ex Recessu SS. Ioannis et Pauli. — *Professio perpetua.* - Die 7 Ianuarii 1940, ad altare ubi Corpus S. Patris nostri Legiferi reconditur, vota perpetua nuncupavit *Confrater Iustinus ab Immaculata Conceptione* e Prov. B. M. V. Dolorosae.

Ex Prov. Praesentationis B. M. Virginis. — *Professiones perpetuae.* - Die 8 Decembris 1939, in Recessu SS. Crucifixi (Borgetto),

vota perpetua emisit *Confr. Joannes a Maria Immaculata*; die vero 17 Decembris eiusdem anni, in Recessu S. Eutychie M. (Soriano), eadem vota nuncupavit *Fr. Seraphinus a V. Dolorosa*.

Professiones temporariae. — In Recessu S. Joseph (Monte Argentaro), vota simplicia emiserunt: die 9 Augusti 1939, *Confr. Albertus a Cruce*; die 28 Septembris eiusdem anni *Confratres: Marcellus a Cruce, Vincentius ab Immaculata, Bernardinus a Jesu et Maria, Augustinus a Corde Mariae, Romualdus a Nomine Mariae, Victorius ab Immaculata, Carolus a S. Familia, Simon a V. Perdolente, Thomas a SS. Cordibus*; die 11 Novembris, *Confr. Humbertus a S. Aloisio*. Item, die 3 Ianuarii 1939, *Fr. Romualdus a Corde Jesu*; die 9 Augusti, *Fr. Marius a V. Perdolente*; die 20 Decembris, *Fr. Paulus a V. Perdolente* et *Fr. Julius a V. Perdolente*. In altero Novitiatu pro Sicilia regione, nempe in Recessu B. M. V. ab Arce (Alessandria della Rocca), eadem vota nuncuparunt: die 16 Aprilis 1939, *Confr. Pancratius ab Immaculata*; die 17 Octobris, *Confr. Salvator Maria a Jesu*; die 28 Aprilis, *Fr. Gabriel a V. Perdolente* et die 17 Octobris, *Fr. Robertus a Latere Jesu*.

Ordinatio sacra. Die 17 Februarii 1940, in Patriarchali Basilica Lateranensi, sacrum Presbyteratus Ordinem recepit *P. Hildebrandus a Jesu Agonizante*, e Recessu SS. Salvatoris ad Scalam Sanctam.

Ex Prov. B. M. V. Dolorosae. — *Professiones perpetuae.* - In Recessu S. Mariae ad Montes (Napoli) vota perpetua emiserunt: *Confr. Angelicus ab Immaculata*, die 18 Octobris 1939 et *Confr. Gaspar a Pretiosissimo Sanguine*, die 1 Ianuarii 1940.

Professiones temporariae. — In Recessu S. Mariae Gratiarum (Pontecorvo) vota simplicia emiserunt, die 21 Septembris 1939, *Confratres: Armandus a SS. Sacramento, Grimoaldus a Jesu Crucifixo, Felix a Jesu et Maria, Eduardus a Virgine Pompeiana*; die 17 Decembris 1939, *Fr. Archangelus a Jesu et Maria*. In altero vero Novitiatus Recessu S. Mariae de Corniano (Ceccano), eadem vota nuncuparunt: die 16 Novembris 1939, *Confr. Pacificus a Pretiosissimo Sanguine* et *Fr. Robertus a SS. Sacramento*; die 22 Martii 1939, *Antoninus a S. Paulo a Cruce*; die 17 Aprilis, *Andreas a Corde Jesu, Marius a Corde Mariae* et die 3 Decembris, *Caelestinus a SS. Sacramento*.

Ex Prov. B. M. V. a Pietate. — *Electio extracapitularis II Consultoris.* - Cum per obitum Adm. R. P. Epiphaniae a Matre Dei,

secundi Consultoris Provincialis, hoc officium vacasset, die 28 Februarii, iuxta Regularum nostrarum ac Juris canonici praescripta, Rev. mus P. Praep. Generalis una cum Curia Provinciali, in capitulari congressu in Recessu Immaculatae Conceptionis (Isola del Gran Sasso) habito, ad idem officium elegit *Adm. R. P. Famiānum a Septem Doloribus B. M. Virginis*.

Professiones perpetuae. — Die 14 Decembris 1939, in Recessu D. N. a S. Corde Jesu (Sammarcello), vota perpetua emisit *Fr. Felix a V. Perdolente*; die 12 Decembris 1939, in Recessu S. Ioseph (Pontefelcino), *Fr. Leonardus a Quinque Vulneribus*; die 12 Ianuarii 1940, in eodem Recessu, *Confr. Thomas a Virg. Perdolente*; die 30 Ianuarii 1940, in Recessu S. Mariae de Quercu (Morrovalle), *Fr. Benjamin a S. Gabriele a Virg. Perdolente*.

Professiones temporariae. — In Recessu S. Mariae de Quercu (Morrovalle), die 22 Septembris 1939, vota simplicia emiserunt *Confratres: Eligius a Corde Mariae, Aurelius a S. Corde Jesu, Christophorus a Iesu Infante, Alexander a Christo Rege, Aemilianus ab Immaculata, Benedictus a SS. Cordibus, Fulgentius a Maria Auxiliatrice, Robertus ab Immaculata*, et die 28 Februarii 1939, *Fr. Augustinus a Virgine Perdolente*.

Ex Prov. S. Ioseph. — *Professiones temporariae.* - In Recessu SS. Salvatoris (Broadway), die 15 Octobris 1939, vota temporaria emiserunt *Confratres: Finbarrus a Matre Dolorosa, Gerardus a S. Spiritu, Aidanus a Matre Dolorosa, Paulus Maria a Matre Dei, Michael a SS. Sacramento, Eunanus a V. Perdolente, Kieranus a S. Theresia, Raphael a S. Corde, Gregorius a Iesu Infante*; die 14 Novembris, *Confratres: Wilfridus a S. Corde, Aquinas a S. Corde, Antonius a S. Theresia, Terentius a S. Patritio*, et die 14 Decembris, *Bernardus a Beata Virgine*. Die 17 Iunii 1939, eadem vota nuncupavit *Fr. Gabriel a Matre Dolorosa*.

Electiones extracapitulares. - Defuncto *Adm. R. P. Kiliano* ab Animabus Sanctis, Novitiorum Magistro, Curia Provincialis in eisdem locum suffecit *Adm. R. P. Brendanum a Septem Doloribus*, qui acceptata electione, a munere secundi Consultoris Prov. cessavit. Curia autem Provincialis una cum *Adm. R. P. Brendano* Novitiorum Magistro ac Rev. mi P. Generalis Delegato, iuxta Regularum nostrarum praescripta, ad officium secundi Consultoris elegit *Adm. R. P. Linum a N. D. de Perpetuo Succursu*. Eadem Curia Provincialis in capitulari

congressu ad officium Rectoris Recessus nuper erecti in regione Valiana apud St. David vocavit *Adm. R. P. Stanislaum a Matre Dolorum*. Electionem vero tum Novitiorum Magistri tum Rectoris ratam habuit et confirmavit Rev. mus P. Praepositus Generalis.

Ex Prov. S. Pauli a Cruce. — *Professiones temporariae.* - In Recessu S. Pauli a Cruce (Pittsburgh), vota temporaria emiserunt *Confratres: Martinus Joseph ab Imm. Corde Mariae, Iudas a Christo Rege, Richardus Franciscus a Matre Dolorosa, Cronanus a SS. Cordibus Iesu et Mariae, Gerardus Antonius a SS. Cordibus Iesu et Mariae, Malachias a Cruce, Colmanus a Matre Dei, Angelus a S. Familia, Gabriel a SS. Cordibus Jesu et Mariae, Anselmus a Quinque Vulneribus, Paulinus a Regina Martyrum*, die 15 Augusti 1939; die vero 29 Septembris eadem vota emisit *Confr. Kilianus a Matre Immaculata*; die 26 Martii 1939, *Fr. Damianus a Sancta Cruce*; die 29 Ianuarii 1939, *Fr. Paulus a Maria Immaculata*.

Ex Prov. Purissimi Cordis B. M. V. — *Professio perpetua.* - In Recessu S. Pancratii (Pianezza), die 11 Februarii 1940, vota perpetua emisit *Confr. Beniaminus a Jesu et Maria*. *Professiones temporariae.* - In Recessu S. Mariae (Caravate), die 15 Septembris 1939 vota temporaria emiserunt *Confratres: Benignus ab Immaculata, Chrysostomus ab Immaculata, Carolus ab Immaculata, Vincentius ab Immaculata, Antonius M. Zaccaria ab Immaculata, Casimirus a Virgine Dolorosa, Godefridus ab Immaculata, Linus a S. Joseph*. Item eadem vota nuncuparunt *Fratres: Stephanus a S. Familia*, die 12 Ianuarii 1939; *Clemens, a V. Dolorosa*, die 23 Maii 1939; *Franciscus a S. Gabriele a V. Dolorosa*, et *Petrus ab Immaculata*, die 18 Octobris 1939.

Ordinationes sacrae. — Die 17 Februarii 1940, per manus Exc. mi ac. Rev. mi D. Hadriani Bernareggi, Ep. Bergomensis, in Ecclesia Cathedrali S. Alexandri, sacrum Presbyteratus Ordinem susceperunt *Patres: Theophilus a Purissimo Corde Mariae, Valerius a Matre B. Consilii*, et *Donatus a Regina Martyrum*; omnes e Recessu S. Mariae Angelorum (Basella).

Ex Prov. Immacul. Conceptionis. — *Professiones temporariae.* — In Recessu S. Pauli a Cruce (Capitan Sarmiento), die 19 Februarii 1939, vota temporaria emiserunt *Confratres: Marcus a Jesu, Fridericus a Jesu Infante, Firminus a SS. Cruce et Passione D. N. J. C. et Josephus a SS. Sacramento*.

Ex Prov. a Latere Jesu. — *Professiones perpetuae.* - In Recessu SS. Cordis Jesu (Manduria), vota perpetua emiserunt *Confr. Isidorus a Matre Dei*, die 17 Iannuarii 1940; *Fr. Seraphinus a Passione*, die 25 Februarii 1940.

Professiones temporariae. — In recessu B. M. Virginis de Catena (Laurignano), die 28 Maii 1939, vota temporaria emiserunt *Confratres: Joannes Maria a S. Gabriele Archangelo, Ianuarius a Passione, Claudius a SS. Cordibus, Aurelius a S. Latere Jesu, Bernardinus a Jesu, Petrus ab Immaculata*, et die 15 Augusti, *Emmanuel a SS. Cordibus*. Die vero 24 Decembris, eadem vota emisit *Fr. Valentinus a Spiritu Sancto*.

Ex Provincia S. Familiae. — *Professiones temporariae.* - In Recessu B. M. V. de Villar (Corella), vota temporaria emiserunt, die 2 Iunii 1939, *Confr. Iacobus a Sacro Latere*; die vero 15 Septembris eiusdem anni, *Confratres: Philippus a S. Corde Iesu, Lucius a Matre Dolorosa, Valerius a SS. Sacramento, Evaristus a B. Gemma, Ioseph a Iesu Crucifixo, Angelus a S. Ioseph, Albertus ab Immaculata, Petrus a Iesu Crucifixo, Innocentius a V. Perdolente*; die autem 2 Octobris, *Confratres: Michael a SS. Sacramento, Martialis ab Immaculata*, et die 22 eiusdem mensis, *Confratres: Ioseph Maria ab Immaculata, Benedictus ab Immaculata*; atque die 2 Iunii, *Fr. Basilius a Virgine de Villar*.

Ex Prov. SS. Crucis. — *Professiones temporariae.* - In Recessu S. Francisci de Hieronymo (Kansas), vota temporaria emiserunt, die 10 Iulii 1939, *Confratres: Carolus ab Imm. Conceptione, Joannes a N. D. de Perpetuo Succursu, Rochus a Cruce, Paulus a Praesentatione B. M. Virginis*. Eadem vota noncuparunt, die 2 Februarii 1939, *Fr. Patritius a Maria Regina SS. Rosarii*, et die 15 Septembris *Fr. Benedictus a Jesu*.

Ex Prov. S. Gabrielis. — *Professiones temporariae.* - In Recessu S. Gabrielis (Cruyshautem), vota temporaria nuncuparunt, die 15 Septembris 1939, *Confratres: Sylvanus a B. Gemma, Bertholdus a S. Ioseph, Ernestus a Cruce, Adelardus a Maria Mediatrice, Everardus a Regina SS. Rosarii, Callistus a Matre Dei, Livinus a Christo Rege, Libertus a Matre Sanctae Spei, Bonifacius a Maria Mediatrice*; die 27

Februarii 1939, *Fr. Ferdinandus a Matre Dolorosa*; die 9 Novembris, *Fr. Eugenius a N. D. de Perpetuo Succursu*.

Ex Prov. Pretiosissimi Sanguinis. — *Professio perpetua.* — Die 21 Iunii 1939, in Recessu S. Joseph (Peñaranda de Duero), vota perpetua emisit *Fr. Raphaël a Virg. Perdolente*.

Professiones temporariae. — In Recessu S. Ioseph (Peñaranda de Duero) die 21 Iunii 1939, vota temporaria emiserunt *Confratres: Longinus a Latere Iesu, Saturninus a Cruce, Jeremias a Matre S. Spei, Victor a Quinque Vulneribus, et Martinus a Iesu Crucifixo*.

Ex Prov. Matris S. Spei. — *Professiones perpetuae.* — Vota perpetua nuncuparunt, die 10 Septembris 1939, *Confr. Damianus a Matre S. Spei, in Recessu Matris Dolorosae (Mook), et Fr. Hadrianus a Matre S. Spei, in Recessu S. Gabrielis (Haastrecht)*.

Professiones temporariae. — In Recessu Matris S. Spei (Echt), die 4 Septembris 1939, vota temporaria emiserunt *Confratres: Richardus a Virgine Perdolente, Laurentius a S. Anna, Borromaeus a Quinque Vulneribus, et Fratres Andreas a Virgine Perdolente, Bernardus a Virgine Perdolente, Florentius a S. Corde Iesu*; die vero 4 Februarii 1939, eadem vota emisit *Fr. Antonius a S. Joseph*.

Ex Prov. S. Patritii. — *Professiones temporariae.* — In Recessu S. Gabrielis (Enniskillen), die 18 Septembris 1939, vota temporaria emiserunt *Confratres: Lenanus a Matre Dolorosa, Ferdinandus a S. Corde Iesu, Jacobus a S. Theresia ad Infante Iesu, Paulus Maria a SS. Sacramento, Fidelis a Sacro Corde*. Die 19 Novembris eadem vota nuncuparunt *Confratres: Urbanus a Matre Dolorosa, Carthay a Sacro Corde, et die 22 Martii 1939, Fr. Benedictus...*

Professiones Perpetuae. — In Recessu S. Pauli a Cruce (Dublin) vota perpetua emiserunt *Confratres: Philippus ab Agno Dei, die 23 Februarii 1939; Dermotus a S. Theresia ab Infante Iesu, die 20 Septembris; Aidanus ab Immaculata Conceptione, die 22 Maii, et Conlethus a S. Theresia ab Infante Iesu*.

II.

VARIA NOTATU DIGNIORA

DE SODALIBUS NOSTRIS IN POLONIA

Rebus, in superiore numero Actorum dictis de Sodalibus nostris in Polonia degentibus, has adiacere volumus, quas e litteris accepimus Romam missis.

Tres nostri Recessus illius nationis sunt in territorio a Germanis occupato, et fere ex toto a nostris Sodalibus habitantur.

In Recessu loci Sadowie, hodie Gartendorf appellati, unus Pater et aliquot fratres morantur. Aedificium, valde parvum et in loco solitario positum, nihil detrimenti passus est.

Etiam alter Recessus in Rawa Mazowieka, licet magis expositus horroribus belli et igniferum globorum iactibus, tamen non multum detrimentum accepit. Nunc integre a nostris possidetur, qui illuc cum Adm. Rev. P. Julio Vice-Provinciali et Adm. Rev. P. Stanislao, primo eiusdem Consiliario, convenerunt.

De Recessu in Przasnysz res non bene cognoscuntur. Dum prius dicebatur incensus ac destructus, nunc e contra videtur magnum saltem detrimentum non accepisse. Scimus enim illum fere totum habitari a profugis Polonis, qui ex aliis regionibus sunt expulsi, atque ibi quatuor vel quinque Sacerdotes nostros cum aliquot fratribus interim tria conclavia, quae plano pede sunt, occupare.

Novitii, qui in Recessu Sadowiensi erant, iam ab initio belli domum paternam adire permissi sunt. Etiam duodecim Studentes, qui Recessum in Przasnysz habitabant, primis belli diebus alio confugerunt. Qui postea redierunt, ad suos remissi sunt, ut ibi commorentur, donec opportunitas concedat studia et vitam regularem repetere.

BENEFACTORES COOPTATI

In albo Benefactorum Congregationis nostrae, patentibus Litteris Rev.mi P. Praepositi Generalis, recensiti sunt:

Die 18 Ianurii 1940, precibus exhibitis ab Adm. Rev. P. Praeposito Prov. Purissimi Cordis B. M. V., Adm. Rev. D. JOANNES BAPTISTA PEANO, loci Cuneo, dioec. Cuneensis.

Item, eadem die, precibus exhibitis ad eodem Praeposito, Ill.mus dominus PAULUS CORNEGGIE MEDICI e marchionibus de Castellanza, eiusque familia, loci Milano, dioec. Mediolanensis.

Item, eadem die, precibus exhibitis ab eodem Praeposito, dominus IOSEPH PINARDI, loci Milano, dioec. Mediolanensis.

Die 2 Februarii 1940, precibus exhibitis a Rev.mo P. Praeposito Prov. Praesentationis B. M. V., Adm. Rev. JOSEPH FREDDOLINI, Pa-rochus loci Aquilea, dioecesis Lucanae.

CONFRATERNITATIS A PASSIONE NOVAE ERECTIONES

Diplomate diei 1 Novembris 1939, erecta est Confraternitas a Passione in Ecclesia paroeciali S. Joannis Baptistae, loci Chiavari, dioecesis Clavarensis in Italia.

Item diplomate diei 10 Januarii 1940, in Ecclesia Assumptionis B. M. V., loci Subijana, dioecesis Victoriensis in Hispania.

Item diplomate diei 20 Januarii 1940, in Ecclesia S. Joannis Baptistae, loci Melegnano, dioecesis Mediolanensis in Italia.

Item diplomate diei 30 Januarii 1940, in nostra Ecclesia S. Euty-chii Martyris, loci Soriano al Cimino, dioecesis Hortanae in Italia.

Item diplomate diei 13 Februarii 1940, in Ecclesia Paroeciali loci Villalba de Losa, dioecesis Burgensis in Hispania.

BIBLIOGRAPHIA

MONITUM

Meminerint Superiores et Scriptorum Sodalitatis nostrae omnium operum quae a nostris eduntur, etiamsi tantum novae editiones sint, trina exemplaria ad Secretarium Generalem Congregationis mittenda esse, tum ut in Archivo Generali Congregationis et in sacro Museo ad Scalam Sanctam erecto omnia a nostris edita opera, licet exiguae molis, haberi et servari possint, tum ut de iisdem in hoc Commentario notitiam dare valeamus.

Onze lieve Vrouen van Smarten, pag. 23, cm. 13,5 × 9,5.


Auctor, ex Provincia S. Gabrielis, hoc edidit opusculum ad facilem et communem reddendam inter christifideles meditationem de doloribus B. Mariae Virginis. Sunt revera septem brevissimae meditationes, singulae una pagina contentae, quibus ex opposita pagina respondet pulchra imago relativam scenam repraesentans. Adduntur Litaniae B. Virginis Dolorosae ad usum privatum et canticum.

H. Gabriël van O. L. V. van Smarten, 1938, pag. 20, cm. 13 × 10.

Auctor, ex eadem Provincia S. Gabrielis, decem paginis narrat vitam S. Gabrielis a Virgine Perdolente, addit Litanias eiusdem et varias preces, ut in populo christiano magis in dies Sanctus iuvenis noster cognoscatur et invocetur.

Companion to the Missions conducted by the Passionist Fathers, Dublin, pag. 72, cm. 12 × 9.

Opuluseum, ut titulus ipse dicit, comes vult esse christifidelium, qui Missionibus nostris adsistunt. Ideoque finem Missionis, dispositiones animi, ad fructum capiendum, varia Missionis exercitia, preces et hymnos proponit. Quibus opportune accedunt illa pietatis exercitia in onorem Passionis Domini, B. Mariae Virg. Perdolentis et Sanctorum nostrorum, quae a nostris foventur.



DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

✓ 49. — Die 27 Decembris 1939, in Recessu S. Mariae (Caravate), Prov. Purissimi Cordis B. M. V., P. ERNESTUS A SS. STIGMATIBUS (Ernestus Parenti); qui, natus anno 1892, vota nuncupaverat die 23 Novembris 1909.

1940.

1. — Die 4 Ianuarii 1940, in Recessu SS. Salvatoris (Broadway), Prov. S. Ioseph. P. KILIANUS AB ANIMABUS SANCTIS (Michael Sheridan), qui, natus anno 1894, vota nuncupaverat die 15 Septembris 1922.

✓ 2. — Die 28 Ianuarii 1940, in religiosa domo S. Pauli a Cruce (Signa), Instituti Sororum S. Pauli a Cruce (Signa), SOROR GABRIELA AB ANNUNTIATIONE (Annuntiata Ermini), quae, nata anno 1864, vota nuncupaverat die 24 Novembris 1887.

✓ 3. — Die 29 Ianuarii 1940, in Recessu N. D. a SS. Corde (Samarcello), Prov. B. M. V. a Pietate, P. EPIPHANIUS A MATRE DEI (Joseph Massimi), qui, natus anno 1880, vota nuncupaverat die 12 Augusti 1896.

✓ 4. — Die 2 Februarii 1940, in Recessu B. Mariae Virg. de Catena

(Laurignano), Prov. a Latere Christi, P. VALERIANUS A JESU (Seranus Turiaro), qui, natus anno 1878, vota nuncupaverat die 16 Augusti 1897.

5. — Die 8 Februarii 1940, in Recessu... (Valentiae), Provinciae S. Familiae, P. PETRUS A S. MARTINO (Petrus Bernaola Olaverria), qui, natus anno 1876, vota nuncupaverat die 21 Aprilis 1892.

✓ 6. — Die 8 Februarii 1940, in religiosa domo S. Pauli a Cruce (Signa) Instituti Sororum S. Pauli a Cruce (Signa), SOROR M. IESUALDA A SS. ROSARIO (Rosaria Ferlito), quae, nata anno 1903, vota nuncupaverat die 22 Novembris 1934.

7. — Die 9 Februarii 1940, in religiosa domo S. Pauli a Cruce (Lytham), Instituti Sororum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. (Bolton), SOROR M. LEONARDA J. A JESU CRUCIFIXO (Anna Gonoud), quae, nata anno 1867, vota nuncupaverat die 13 Iunii 1890.

8. — Die 14 Februarii 1940, in religiosa domo S. Mariae (Manchester), Instituti Sororum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. (Bolton), SOROR M. ALOISIA J. AB IMMACULATA CONCEPTIONE (Margarita O' Loughlin), quae, nata anno 1894, vota nuncupaverat die 13 Septembris 1913.

9. — Die 18 Februarii 1940, in Monasterio S. Gabrielis (Scranton, Pa.), MATER MARIA ALOISIA A MATRE DOLOROSISSIMA (Teresia Campanari), quae, nata anno 1883, vota nuncupaverat die 18 Octobris 1905.

✓ 10. — Die 22 Februarii 1940, in Recessu S. Michaelis Archangeli (Vinchiana) Prov. Praesentationis B. M. V., FR. JOANNES A VIRGINE DOLOROSA (Ioannes Guerrini), qui, natus anno 1872, vota nuncupaverat die 13 Novembris 1902.

11. — Die 28 Februarii 1940, in religiosa domo S. Sebastiani (Kilkullen), Instituti Sororum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. (Bolton), SOROR M. PACIFICA JOSEPHA A SS. SACRAMENTO (Francisca Weir), quae, nata anno 1859, vota nuncupaverat die 27 Julii 1881.

12. — Die 5 Martii 1940, in Recessu loci Holguin (Cuba) Prov. S. Familiae, P. FRANCISCUS A S. IOANNE BAPTISTA (Franciscus Calvo Sanchez), qui, natus anno 1910, vota nuncupaverat die 10 Octobris 1927.

Imprimatur: TITUS A S. PAULO A CRUCE Praep. Gen.

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, PASSIONISTA) *Direttore responsabile*

Finito di stampare il 3 aprile 1940 nella Tipografia Agostiniana - Roma

Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

CONSISTORIUM SEMIPUBLICUM

PRO CANONIZATIONE B. GEMMAE GALGANI VIRGINIS

Feria V, die 4 mensis Aprilis a. 1940, in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani, Consistorium semipublicum habitum est, in quo Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII tam Reverendissimorum Patrum Cardinalium, quam Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum itemque Praelatorum seu Abbatum *nullius*, quibus ius est, suffragia excepit pro futura canonizatione Beatarum Mariae a Sancta Euphrasia Pelletier, monialis professae ex Ordine Dominae Nostrae a Caritate, fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore, et Gemmae Galgani, virginis saecularis.

Suffragia excepturus Beatissimus Pater haec verba praefatus est :

Venerabiles Fratres

Causae de sanctitatis honoribus decernendis cum Beatae Mariae a S. Euphrasia Pelletier, moniali professae Ordinis Dominae Nostrae a Caritate eidemque Instituti sororum a Bono Pastore Legiferae Matri, tum Beatae Gemmae Galgani, virgini Lucensi, eo diligenti studio pertractatae fuere, quo ut nostis, Apostolica Sedes res eiusmodi dispicere ac perpendere assolet.

Etenim, postquam Sacrum Consilium ritibus tutandis ex Romani Pontificis mandato rem totam religiosissime recognovit, et hinc inde rationes omnes, quasi in iusta tru-

tina positas, aequa lance libavit, Nos quoque easdem causas Nobis allatas accurate inspeximus, atque Apostolica auctoritate Nostra ediximus tuto procedi posse ad sollemnem harum Beatarum Virginum consecrationem celebrandam. Habita praeterea sunt hac eadem super re Consistoria duo, secretum unum, publicum alterum. Dubium igitur non est omnia fuisse sedulo diligenterque pensata in suaque luce posita.

Cupimus nihilominus consilii etiam vestri lumen menti Nostrae ne desit; atque adeo iussimus ad vos singulos universos legitimos commentarios de harum Beatarum Virginum vita opportuno tempore mitti, unde facile vobis esset necessarias haurire notitias ad propositas causas diiudicandas. Velitis igitur in praesens, alius ex alio secundum dignitatis vestrae gradum, quid opinemin iultro aperteque Nobiscum communicare.

Exceptis vero adstantium suffragiis, Ss. mus Dominus Noster haec addidit:

Concordi voce concordique animo vos Nobiscum consentire laetamur admodum; ac pro certo habemus communem sententiam Nostram ac vestram christifidelium omnium votis ac precibus respondere. Nihil igitur cunctandum esse ducimus ut mentem Nostram vobis aperiamus. Nobis scilicet deliberatum est rem in Petriana Basilica sollemni apparatu sollemnibusque caerimoniis agere die II proximi Maii, Ascensioni D. N. Iesu Christi dicato. Atque interea vos omnes, rogamus, preces vestras ne intermittatis ut laetabilis hic eventus ad Dei gloriam per sancte vivendi exempla manifestandam summo opere conferat; id quoque comprecantes ut hoc, quod omnes communibus votis praestolamur, cum Catholicae Ecclesiae, tum universo humano generi, trepidis in praesens afflictisque rebus laboranti, propitium, faustum ac salutare sit.

Tum R. P. D. Carolus Respighi, Praefectus Apostolicarum Caeremoniarum, absente Procuratore fiscali Camerae Apostolicae, Protonotarios Apostolicos praesentes consueta formula rogavit ut de actis in Consistorio semipublico instrumentum conficerent ad perpetuam rei memoriam.

Et R. P. D. Alfridus Vitali ex Protonotariis Apostolicis adstantibus senior, idem spondit dicens « Conficiemus » conversusque ad Cubicularios de numero participantium qui erant circa Solum, eosque appellans, prosecutus est « Vobis testibus ».

(A. A. S. vol. xxxii. pag. 137-139).

SOLEMNIS CANONIZATIO B. GEMMAE GALGANI VIRGINIS

Die 2 Maii, in festo Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, SS. mus D. N. Pius Pp. XII in Basilica Vaticana solemnem Canonizationem peregit Beatae MARIAE A S. EUPHRASIA PELLETIER, monialis professae Ordinis Dominae Nostreae a Caritate, Instituti sororum a Bono Pastore Legiferae Matris, et Beatae GEMMAE GALGANI, Virginis saecularis.

Sacer ritus initium habuit hora 8,15, qua magna pompa Cleri regularis et saecularis almae Urbis, praecedentibus cuiusque Ordinis vel Ecclesiae signis, per Scalam regiam et porticum Constantinianam, in Vaticanam Basilicam porta maxima intrare coepit.

Primi incedebant Sodales Ordinum Mendicantium, cum cereis accensis: Augustiniani Discalceati, Minores Capuccini, Mercedarii, Minimi, Sodales Tertii Ordinis regularis S. Francisci, Minores Conventuales, Fratres Minores, Augustiniani Anachoretae, Carmelitae Discalceati, Servi B. M. V., Fratres Praedicatorum; sequebantur Sodales Ordinum Monasticorum: Olivetani, Cistercienses, Benedictini, et ultimi Canonici Regulares Lateranenses.

Deinde, post Crucem inter duos acolytos delatam, sequentibus alumnis Pontificii Seminarii Romani, veniebant Ven. Collegium Parochorum Urbis, Capitula Ecclesiarum Collegiatarum, Basilicarum Minorum, Basilicarum Patriarchalium: S. Mariae Maioris, S. Petri in Vaticano, et demum Archibasiliae Lateranensis. Clero Basilicarum Patriarchalium praeibat sua quaeque Capella musicalis, concinens hymnum *Ave maris Stella* et, ad ingressum in Basilicam, antiphonam *Regina caeli, laetare*.

Sequebantur Consultores et Officiales S. Rituum Congregationis, R. P. D. Natucci, Promotor Generalis Fidei, R. P. Tellina, Subpromotor Fidei; Componentes Tribunal Vicariatus Urbis cum Vicegerente Exc.mo Traglia. Deinde ferebantur sacra vexilla novarum Sanctarum, quarum adspectu omnes plaudebant. Vexillum S. Gemmae, ab una parte exhibens eam coram Crucifixo orantem, ab altera ascendentem Calvarium, Angelo duce, plures Sodales nostri praecedebant et comitabantur, eiusdemque floccos sustinebant hinc R. P. D. Del Carlo, Vicarius Generalis Lucensis, et Ernestus Giannini, nepos S. Gemmae; inde vero Rev.mus Praepositus noster et Advocatus Iosephus Giannini, filius natu maior familiae hospitalis angelicae Virginis.

Post vexilla veniebat pompa papalis proprie dicta, cui intererant Protectores Dominici lateris, Praelati Camerae secretae et Cubicularii secreti participantes; Abbates, Episcopi et Archiepiscopi, omnes numero septuaginta; E.mi Patres Cardinales: Granito Pignatelli di Belmonte, Gasparri, Salotti, Sibilia, Vidal y Barraquer, Verde, Lauri, Hlond, Rossi, Fumasoni Biondi, Marmaggi, Maglione, Tisserant, Pizzardo, Caccia Dominioni, Canali, Cattani, Massimi, Mercati.

Beatissimus Pater pluviali indutus et mitra redimitus, sella gestatoria vectus sub baldachino, cereum accensum manu sinistra tenens, statim ac in Basilicam intravit, tubis argenteis personantibus, summo omnium plausu exceptus est. Adorato SS.mo Sacramento solenmiter exposito in sacello SS.mae Trinitatis, et paulisper moratus genu flexo ante altare maius, Solium conscendit ac sedit, ad latera habens E.mos Cardinales Gasparri, Episcopum Assistentem, Canali et Cattani, Diaconos Assistentes, necnon Exc.mum D. Dominicum Orsini ad Solium Assistentem.

Praestita ab E.mis Patribus obedientia, accessit ad Thronum E.mus Card. Salotti, Procurator Canonizationis, ut triplicem perorationem, quam suo nomine faciebat Advocatus Consistorialis Augustus Milani, Summo Pontifici exhiberet.

Ad primam *instanter* factam, Ill.mus et Rev.mus Antonius Bacci ab epistolis ad Principes, Pontificis nomine ita respondit:

« Quod vos, causam de beatis virginibus Maria a S. Euphrasia Pelletier ac Gemma Galgani sanctitatis infula honestandis, diserte, ut soletis, perorantes, instanter postulastis, Augusti Pontificis animum ad vestris omniumque votis concedendum summopere commovet; idque non modo quod eadem beatae virgines, dum mortalis huius vitae usura fruitae sunt, evangelicae virtutis praestantia in exemplum enituere — quam quidem virtutem praeclarissimam Deus ipse, patris earum deprecatione miraculis, luculenter testari visus est — sed ex eo etiam quod mirabilis earum vita, eodem ferme modo ac sanctimoniae gesta, quae numquam in Ecclesiae annalibus desiderantur, rem edocet omnes summi momenti summaeque gravitatis. Etenim si per aetatis decursum pravorum hominum conatus divinam in terris Iesu Christi operam subvertere saepenumero enisi sunt; sicubi etiam interdum catholica fides labefactata elanguit, christianorumque mores, neglectis vel posthabitis sanctissimis Evangelii legibus, miserrime pessumdati iacuerunt, at in Dei Ecclesia sanctitudinis decus — quasi aetherium lumen aberrantibus per devia itinera hominibus refulgens — numquam defuit, numquam cernere fuit christianae virtutis laude sterile saeculum. Hac nempe sanctitatis nota Divinus ipse Redemptor castissimam Sponsam suam per omne aevum insignitam voluit ut omnes, quotquot eam, mente a praeiudicatis opinionibus libera, respicerent, rem veluti divinam agnoscerent ac revererentur.

« Haec quidem Beatissimi Patris pulsant animum atque ad assentiendum permovent, eo vel magis quod spes affulget fore ut beatae hae virgines, quarum cultus adaugeretur sollemnique ritu consecrabitur, hominum generi, exagitato in praesens atque aerumnosis trepidisque rebus laboranti, caelestia auxilia supernaque solacia impetrent. Verumtamen, antequam Summus Pontifex immutabili oraculo Suo causam decernat, universam cupit caelorum Curiam deprecari, ad eandemque incensas supplicationes a vobis omnibus adhibendas postulat, ut uberiora e supernis sedibus lumina menti Suae affulgeant ».

Ideoque omnes praesentes in genua procubuerunt ad Litanias Sanctorum canendas, quibus finitis, idem Ad-

vocatus, *instante et instantius* perorationem renovavit ; cui Rev.mus Bacci respondit :

«Antequam Augustus Pontifex iteratae postulationi vestrae concedat, ea omnia religiosissime servari cupit, quae ex translaticio Romanae Ecclesiae more institutoque, in gravissimis id genus rebus, peragi solent. Vult igitur decretoriâ sententiâ Suâ paulisper etiam supersedere, dum uberiora Spiritus Sancti lumina per usitatum hymnum menti Suae ab omnibus implorentur ».

Postquam aliquantulum oravit in silentio, Summus Pontifex, librum ritualet et candelam sustinentibus Excmis Archiepiscopis ad Solium assistentibus : Migone, a privatis largitionibus Pontificis, et Torrini, Archiepiscopo Lucensi, hymnum *Veni Creator Spiritus* movit, quo expleto orationem de Spiritu Sancto recitavit.

Ad tertiam perorationem *instante, instantius et instantissime*, Rev.mus Bacci his verbis nunciavit Pontificem mox expectatam proclamationem esse editurum :

«Ex «cathedra una super Petrum Domini voce fundata » (S. Cypr., Ep. XLIII, 5 ; Migne, PL, 4, 345) mox sententiam audituri estis, quae in ipsa caelorum aula, ex Iesu Christi pollicitationibus, rata procul dubio habebitur. Frontem igitur venerabundi reclinatote omnes ; ac quemadmodum stellantes Petrianae Basilicae fornices luminibus flammescunt innumeris, ita in animis vestris catholica fides rutilet, christiana incendatur caritas, ac pietas, erga beatas has virgines, sanctitudinis fulgore decoratas, ita in omnibus excitetur, ut, ex valida earum deprecatione, in nos, in res nostras, in universam hominum familiam tot discidiis perturbatam angoribusque anxiam, uberrima descendant divinae gratiae munera ».

Tunc, momento temporis vere solemnissimo, Patribus Cardinalibus et Episcopis omnibus detecto capite stantibus, Summus Pontifex, mitra redimitus, e sua Cathedra, tamquam Christi Vicarius et infallibilis Magister, sequentem formulam Canonizationis protulit :

«Ad honorem Sanctae, et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis

augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio; Beatam Mariam a Sancta Euphrasia Pelletier et Gemmam Galgani Sanctas esse decernimus, et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illarum memoriam quolibet anno die earum natali, nempe Beatae Mariae a Sancta Euphrasia Pelletier die vigesima quarta aprilis, et Beatae Gemmae die undecima aprilis inter sanctas Virgines non martyres pia devotioe recolere debere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen ».

Emus Cardinalis Procurator gratias egit Beatissimo Patri, et praedicti Advocati voce rogavit Protonotarios Apostolicos, ut instrumentum officialem peractae Canonizationis conficerent; mox Summus Pontifex hymnum *Te Deum* movit, Capella pontificia et populo prosequente; quo absoluto orationem ad novas Sanctas dixit, et sequentem homiliam habuit:

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii,

« In tot rerum angustiis, quibus undique premimur, sacra sollemnia, quae hodie celebramus, non modo Nostrum vestrosque animos superno afficiunt solacio, sed etiam spem exacuunt atque adaugent caelestis assequendae beatitudinis. Siquidem, ut Decessoris Nostri Leonis Magni verbis utamur, « Christi Ascensio nostra provectio est, et quo praecessit gloria Capitis, eo spes vocatur et corporis... Hodie enim non solum Paradisi possessores firmati sumus, sed etiam caelorum in Christo superna penetravimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate deiecit, eos sibi concorpora-

tos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit » (Sermo LXXIII, de Ascens. Dom., I, n. 4 ; Migne, PL, 54, 396 B).

« Verumtamen quod probe nostis, ut sempiternam illam, quam nobis Divinus Redemptor comparavit, gloriam in caelis assequamur, omnino necesse est ut, dum in terris agimus, sanctissimis eius vestigiis insistamus. Christiana nempe virtute victoriae palma alitur ; ac, quemadmodum Paulus Apostolus nos edocet, nemo « coronabitur, nisi legitime certaverit » (II Timoth., II, 5).

« Quodsi, interdum praesertim, arctum atque asperum videtur iter, quo ad caelum gradiamur, nosque in arduam suspicientes metam animus viresque deficiunt, reminiscamur, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, demisse fidenterque poscentibus divina non esse auxilia defutura ; ad eosque mentis oculos convertamus, qui antequam aeternam, qua in praesens fruuntur, felicitatem adipiscerentur, in mortalis huius vitae palaestra difficultates non paucas luctationesque perpessi sunt, quas quidem, divina suffragante gratia, feliciter superarunt.

« Atque hodie peculiari modo considerationi imitationique nostrae duae illae caelites occurrunt, quas libentissime Nobis nuperrime datum est, hac in Petriani templi maiestate, sanctitudinis laurea decorare, Maria nempe a S. Euphrasia Pelletier ac Gemma Galgani. Utraque virginitate enituit, suavi illa ac caelesti virtute, quae « mortales angelorum aemulos reddit » (S. I. Chrys., De Virginitate, c. II ; Migne, PG, 48, 540), quaeque omnium animos, pravorum etiam interdum, ita allicit, ut eos ad superna erigere, impellere ac quodammodo rapere videatur. Utraque divina caritate tam vehementer flagravit, ut non modo sese quasi expiationis hostiam pro tot tantisque hominum sceleribus Sempiterno Numini offerret, sed ceteros etiam, quotquot posset, superni amoris flamma incendere enteretur. Atque eiusmodi animi ornamenta dum paenitentiae spinis saepta diligentissime utraque servavit, impensissimo etiam precationis studio alere per totius vitae cursum numquam destitit.

« Atsi peculiarem quamdam virtutis laudem, quasi propriam sanctitatis notam, in unaquaque virgine inspicere nobisque ad imitandum proponere cupimus, in altera, in

Maria nempe a S. Euphrasia Pelletier, christianam animi fortitudinem magnitudinemque admirari possumus, qua eadem potuit, per gravissimam suae patriae tempestatem, difficultates omnes eluctari victrix, et tam preclara edere facinora in Dei gloriam animarumque salutem. In quibus illud silentio praeterire nolumus, quod cum paene innumeras puellas summo maerore videret per devias vitiorum semitas infeliciter aberrare, pientissime iisdem virtutis perfugium paenitentiaeque asylum patere voluit; ubi eadem non modo suos renovare ac redintegrare mores, sed, si vellent, evangelicae etiam perfectionis institutum amplexari possent. Haec omnia igitur intente considerantibus, quae femina, fere nulla humana ope suffulta, efficere potuit, cernere licet naturalem animi magnitudinem, si non terrenis rebus, sed supernis rationibus inserviat, in immensum multiplicari omniaque Dei auxilio fretam operari posse.

« Altera vero, cui nomen omen, *flos Dominicae Passionis* iure meritoque dicitur; eiusque tota vita fuit « abscondita cum Christo in Deo » (Col., III, 3). Etenim tam ardenti amore in Divinum Redemptorem cruci affixum ferebatur, ut nihil antiquius haberet, nihil dulcius quam, procul ab humanarum rerum strepitu, sanctissima Iesu Christi vulnera meditari, eiusque acerbis cruciatibus ita affici, ut illud Apostoli gentium in semet ipsa experiretur: « vivo autem iam non ego; vivit vero in me Christus » (Galat., II, 20). At « qui ponit humiles in sublime » (Iob, V, 11), dona ac charismata, miranda prorsus, Lucensi virgini dilargitus est; atque illud nominatim ut, quicumque virginalem eius vultum virgineosque oculos, vividam innocentis animi imaginem, aspiceret, suavissime affectus a terrenis rebus revocaretur, veluti ad caelestia raptus. Quapropter haud raro contigit, ut vel homines perditis moribus, solo eius adspectu, quasi subita luce supernaque gratia percussi, ad christianam virtutem excitarentur.

« Quam longe abhorret ac discrepat, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, aetas haec nostra a sanctissima harum vita. Siquidem tot homines hodie non superna, sed terrena quaerunt acriterque discipiunt; non paenitentia laboribusque pie toleratis sua luere admissa student animosque expiare, sed immodicas voluptates cupidinesque etiam atque

etiam affectant, in eademque saepenumero sese ingurgitant, aeternae patriae immemores. Ac praeterea ob nimium humanae magnitudinis assequendae studium potentiaeque adaugendae et ob reiectam Dei legem, id in publica etiam re interdum evenit ut, veritatis rationibus caritatisque praeceptis quadam animi obscurate posthabitis, mutuae quoque gentium necessitudinis perfringantur vincula, ac iustitiae repagula subvertantur. Cuius quidem rei exitus, ut probe nostis, lamentabile est bellum quo populi Nobis sane carissimi octo iam menses fraterna caede miserime vexantur; bellum dicimus, quo innumerae sunt opes submersae ac regiones ferro ignique vastatae; bellum quo cives non pauci, extorres facti, remotam patriam lugent, quo innocentes pueri sunt orbi parentibus, quo denique patres matresque familias vita functos suos liberos plangunt.

« Nos igitur, e terrificis hisce rebus ad superna oculos convertentes, dum hodie Servatorem nostrum ascendentem in caelum sollemni ritu veneramus, eiusque sequi vestigia cupimus, has caelites virgines, quae iam felices eius gloria fruuntur, suppliciter comprecemur, non modo ut propitiae velint in nos exsules intueri, nosque per christianae virtutis gradus enitentes, ad sempiternam patriam, divina impetrata gratia, secum una reducere; sed etiam velint a Deo contendere ut gentes ac populi omnes, communis naturae communisque Patris ac Creatoris memores, si contentione disiuncti unitatem, si odio exagitati concordiam, si simultate digladiantes pacem tandem aliquando redintegrent. Amen! ».

Post homiliam E. mus Card. Diaconus ad sinistram Throni accessit, ac solemniter cecinit *Confiteor*, nominibus Apostolorum Petri et Pauli addens nomina novarum Sanctarum Mariae et Gemmae, atque Summus Pontifex Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria impertivit.

Ita absoluto Canonizationis ritu, hora Tertia et Missa sollemnis Pontificis locum habuit.

Ad Offertorium consuetae oblationes factae sunt Pontifici, nempe cerei affabre depicti, panis, vinum, aqua, tur-

tures, columbae et aviculae, quae ultimae, cum ad Pontificem ferebantur, omnibus demirantibus, suaviter canere coeperunt.

Missa celebrata Beatissimus Pater, iterum sella gestatoria vectus ac thiara redimitus, comitantibus Cardinalibus, Episcopis aliisque Praelatis, Basilicam Vaticanam inter populi acclamationes reliquit.

Cantores Pontificiae Capellae direxit Exc.mus Magister Laurentius Perosi. Sacro solemniter ritui intervenerunt multi Principes e regniis familiis, Cognati Pontificis, plurimi Nationum legati, Gubernator Civitatis Vaticanae, Ordines Melitensis et S. Sepulcri, Academici Pontificii, Patricii Nobilesque Romani.

Ex Archidioecesi Lucensi adfuerunt, praeter Archiepiscopum et Vicarium Generalem, Lucae Gubernator, 1300 peregrini, multi e familia Giannini, soror S. Gemmae Angela cum filio Ernesto Giannini, Rev.da M. Iulia Sestini e Sororibus S. Zita, quae Gemmam infantulam instituit. E Consentina Archidioecesi, ubi duo miracula approbata pro Canonizatione acciderunt, Natalis et Elisa Scarpelli, a S. Gemma mire sanati, duo medici periti et tres Praelati, qui tribunal constituerant. Alii peregrini e Dioecesi Agrigentina aliisque locis. Speciali mentione digni viginti quinque peregrini ex Hollandia, qui data pecunia multum contulerunt ad erectionem monasterii Passionistarum titulo S. Gemmae, in loco Sittard, necnon ad eandem Canonizationem.

E Congregatione nostra adfuerunt Exc.mi Episcopi Peruzzo, Battistelli et Faggiano; Rev.mus Praepositus Generalis cum sua Curia, Rev.mus P. Titus a Iesu, Postulator Generalis, Superiores vel Sodales diversarum Provinciarum Italiae, sicut etiam Hispaniae, Hollandiae, Belgii, Angliae et Statuum Foederatorum Americae.

(Ex ephemeride *L'Osservatore Romano* die 3-4 Maii 1940; cf. *A. A. S.*, vol xxxii, p. 169-174).

EXC.MUS EP. DAMIANUS THEELEN C. P. ADSTATOR AD SOLIUM NOMINATUR.

Diplomate pontificio diei I Maii 1940, SS.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII nominare dignatus est *Adstatorem ad Solium* Exc.mum ac Rev.mum D. DAMIANUM IOANNEM THEELEN C. P., Episcopum Nicopolitanum, explentem vigesimum quintum annum ab inito Episcopatu.

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii habito Feria IV, die 29 Novembris 1939, proposito dubio :

« An devotionis formas, vulgo — *Devozione all' Amore annientato di Gesù* — et — *Rosario delle Santissime Piaghe di Nostro Signore Gesù Cristo* — inter fideles fovere liceat ».

Em.mi ac Rev.mi Patres DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, etiam prae oculis habito Decreto diei 26 Maii 1937 « De novis cultus seu devotionis formulis non introducendis deque inolitis in re abusibus tollendis » (cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1937, p. 304) respondendum decreverunt : *Non licere*.

Et Feria V, die 7 Decembris 1939, SS.mus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adessori sancti Officii impertita, relata Sibi Em.rum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit, et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 12 Decembris 1939. (1)

Romulus Pantanetti

Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.

(A. A. S. vol. xxxii, pag. 24).

(1) Hoc decretum minime referri ad parvam Coronam quinque Vulnerum D. N. I. C., Congregationis nostrae propriam, infra probatur multis allegatis documentis (pag. 264-278).

SACRA CONGREGATIO RITUUM

RITUS BENEDICTIONIS PAPALIS SUPER POPULUM ELARGIENDAE SERVANDUS A SACERDOTIBUS, QUIBUS A S. SEDE HUIUSMODI FACULTAS INDULTA EST.

I. *Admoneatur populus de ecclesia, die et hora, qua dabitur pontificia Benedictio. Postquam populus ad ecclesiam convenerit, ad contritionis et devotionis sensus pio brevique sermone excitetur. Mox vero Sacerdos, nullis circumstantibus ministris, superpelliceo et stola alba indutus, ante altare genuflexus, sequentibus versibus Dei opem imploret.*

V). Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R). Qui fecit coelum et terram.

V). Salvum fac populum tuum, Domine.

R). Et benedic hereditati tuae.

V). Dominus vobiscum.

R). Et cum spiritu tuo

Deinde stans sequentem recitet orationem :

ORATIO

Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto, et vota populi huius, in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis tuamque benedictionem praestolantis et gratiam; clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde, qua, bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum Nostrum.

R). Amen.

2. *Postea ad cornu Epistolae accedat; ibique stans, una benedictione, unico videlicet signo crucis, benedicat, proferens alta voce haec verba :*

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.

Amen.

3. *Sacerdotes qui facultate gaudent impertiendi Benedictionem Papalem, formulam praescriptam servant; hac facultate non utantur nisi in designata ecclesia; non autem eodem die et loco quo Episcopus eam impertiatur.*

URBIS ET ORBIS

Cum ex benigna Summi Pontificis concessione Sacra Paenitentiaria Apostolica, peculiaribus in adiunctis et circumstantiis extra ordinem concurrentibus, facultatem Benedictionem Papalem una cum Indulgentia plenaria impertiendi sacerdotibus concedere soleat, E. mus et R. mus D. Cardinalis Lauri, Sactae Romanae Ecclesiae Camerarius et Paenitentiarius Maior, Sacram hanc Rituum Congregationem rogavit ut formulam, qua praefata Papalis Benedictio fidelibus impertiri posset, statuere dignaretur.

Sacra autem Rituum Congregatio, prae oculis habens ritum, qui in ipso Rituali Romano (tit. VIII cap. 32) invenitur, Regularibus utique concessum, Benedictionis Apostolicae statis diebus super populum elargiendae, audito Specialis Commissionis Liturgicae suffragio, huius ritus formulam in posterum ab omnibus sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus, qui speciali Sedis Apostolicae gaudent Indulto, Benedictionem Papalem cum Indulgentia plenaria elargiendi, adhibendam ac servandam esse retinuit.

Facta autem supra his omnibus, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII, die 6 Martii 1940, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit illudque publici iuris fieri mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Sacra Rituum Congregatione, die 12 Martii a. 1940.

C. Card. SALOTTI, Episc. Praenest.
Praefectus.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

4236/40

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(*Officium de Indulgentiis*)

ORATIO AD S. GEMMAM GALGANI INDULGENTIIS DITATUR

PREGHIERA A SANTA GEMMA GALGANI

La vostra vita, o santa Gemma, fu un continuo atto d'amor divino, un intreccio sublime delle più belle virtù. Fin dagli anni più teneri in voi rifulsero un'angelica purezza e un'ardente sete di penitenza, un'evangelica semplicità ed una consumata prudenza, un perfetto distacco da ogni creatura ed un fervore serafico della salute del prossimo, una profonda umiltà ed un'invincibile forza in mezzo alle più dure prove dello spirito, una pietà tutta filiale verso la Madre celeste ed un amore appassionato al vostro Gesù Crocifisso.

Per tante vostre sì eccelse virtù e per le grazie singolari di cui foste largamente arricchita, o magnanima vergine di Cristo, impetrateci una fiamma di quel fuoco divino che vi bruciava il cuore, affinché possiamo in ogni cosa conformarci ai santi voleri di Dio.

Otteneteci ancora tutte le grazie temporali, che non si oppongono all'eterna nostra salute, e fate che dopo questo esilio abbiamo a raggiungervi nella gloria del Cielo. Così sia.

Die 3 Maii 1940.

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum a SS.mo D. N. Pio Pp. XII sibi tributarum, benigne concedit omnibus christifidelibus *Indulgentiam partialem trecentorum dierum* semel in die lucrandam, si supra relatam orationem saltem corde contrito ac devote recitaverint, et *plenariam* suetis conditionibus semel in mense acquirendam, si per integrum mensem quotidie eandem

recitationem pia mente persolverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ☩ S.

L. Card. LAURI
Poenitentarius Major

S. Luzio *Regens*

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE
INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula :

I. — DE TRANSITU AD ALIUM RITUM

D. An mulier latina, quae vi canonis 98 § 4 declaret se velle transire *in matrimonio ineundo* ad ritum orientalem viri, adhuc teneatur ad formam celebrationis matrimonii, de qua in canone 1099, § I n. 3.

R. Affirmative.

II. — DE DISPARITATE CULTUS

D. An ab acatholicis nati, de quibus in canone 1099 § 2, ad normam canonis 1070 subiiciantur impedimento disparitatis cultus, quoties cum parte non baptizata contraxerint.

R. Affirmative.

II. — DE TRIBUNALI COMPETENTE

D. Utrum in controversia, quae ad normam canonis 1572 § 2 dirimenda defertur ad dioecesanum tribunal, Episcopus *convenire* tantum, an etiam *conveniri* possit.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 29 mensis Aprilis, anno 1940.

L. ✠ S.

M. Card. MASSIMI, *Praeses*
I. Bruno, *Secretarius*

(A. A. S., vol. XXXII, pag. 212).

DOCUMENTA PONTIFICIA CONGREGATIONIS NOSTRAE

SACRA CONGREGATIO RITUUM

FACULTAS CONCEDITUR CELEBRANDI TRIDUANAM VEL OCTIDUANAM SUPPLICATIONEM IN HONOREM S. GEMMAE GALGANI.

Nº C. 52/40

Beatissimo Padre,

Il Procuratore Generale dei Passionisti, prostrato al bacio del S. Piede, implora dalla Santità Vostra la facoltà di celebrare il triduo od ottiduo solenne in onore di S. Gemma Galgani nelle chiese ed oratori dei religiosi e religiose passioniste.

BENIGNA CONCESSIO

Congregationis Santissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XII tributis, attentis expositis peculiaribus adiunctis, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis tamen Instructione pro Triduis vel Octiduis intra annum a Canonizatione celebrandis, Rubricis, ceterisque de jure servandis. Quibuscumque contrariis non obstantibus. Die 24 Maii 1940.

L. ✠ S.

C. Card. SALOTTI S. R. C. *Praefectus*
A. Carinci S. R. C. *Secret.*

Instructio Sacrorum Rituum Congregationis super privilegiis quae in triduo vel octiduo solemniter celebrando intra annum a Beatificatione vel Canonizatione per Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis a Summo Pontifice concedi solent.

I. In solemnibus, sive triduanis sive octiduanis, quae in honorem alicuius Sancti vel Beati celebrari permittuntur, Missae omnes ob peculiarem celebritatem dicantur cum *Gloria* et *Credo*, et cum Evangelio S. Ioannis in fine, nisi legendum sit aliud Evangelium iuxta rubricas.

II. Missa sollemnis seu cantata, ubi altera Missa de Officio currenti celebretur, dicatur cum unica Oratione; secus fiant tantummodo commemorationes de duplici secundae classis et omnes aliae quae in duplicibus primae classis permittuntur. Missae vero lectae dicantur cum omnibus commemorationibus, occurrentibus, sed orationibus quae in Missis de tempore secundo vel tertio loco dicendae sunt, et collectis exclusis. Quoad Praefationem servantur Rubricae Missalis ac Decreta.

III. Missam cantatam impediunt tantum Duplicia primae classis, eiusdemque classis Dominicae, nec non Ferae, Vigiliae et Octavae privilegiatae, quae praefata Duplicia excludant. Missas vero lectas impediunt etiam Duplicia secundae classis, et eiusdem classis Dominicae, nec non Ferae, Vigiliae atque Octavae quae eiusmodi Duplicia primae et secundae classis item excludant. In his autem casibus impedimenti, Missae dicendae sunt de occurrente Festo, vel Dominica, aliisque diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat, cum commemoratione de Sancto vel Beato et quidem sub unica conclusione cum prima Oratione. Haec tamen commemoratio omittatur, si occurrat Duplex primae classis Domini primum universalis Ecclesiae, praeterquam Ferae II et III Paschatis et Pentecostes, in quibus ea permittitur.

IV. In ecclesiis, ubi adest onus celebrandi Missam quamlibet Conventualem, eiusmodi Missa nunquam omitenda erit.

V. Si Pontificalia Missarum de Sancto vel Beato ad thronum fiant, haud Tertia canenda erit, Episcopo para-

menta sumente, sed Hora Nona : quae tamen Hora de ipso Sancto vel Beato semper erit, eaque, ad implendam divini Officii obligationem, substitui non poterit Horae Nonae de die currenti.

VI. Quamvis Missae omnes, vel privatae tantum, impediri possint, semper nihilominus secundas Vesperas de Sancto vel Beato solemniores facere licebit absque ulla commemoratione, quae Vesperae tamen de novo Sancto vel Beato pro satisfactione oneris divini Officii recitandi inservire non poterunt.

VII. Aliae functiones ecclesiasticae, praeter recensitas de Ordinarii consensu, semper habere locum poterunt, uti Homilia inter Missarum solemnias, vel vespere Oratio panegyrica, analogae in honorem Sancti vel Beati fundendae preces, et maxime sollemnis cum Venerabili Benedictio. Postremo vero tridui vel octidui die Hymnus *Te Deum* cum versiculis *Benedicamus Patrem...*, *Benedictus es...*, *Domine, exaudi...*, *Dominus vobiscum...* et oratione *Deus, cuius misericordiae...* cum sua conclusione nunquam omittetur ante *Tantum ergo...* et orationem de Ss.mo Sacramento.

VIII. Ad venerationem autem et pietatem in novensiles Sanctos vel Beatos impensius fovendam, Sanctitas Sua thesauros Ecclesiae aperiens, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui, vere poenitentes, confessi ac Sacra Synaxi refecti, ecclesias vel oratoria publica, in quibus praedicta triduana vel octiduana solemnias peragentur, visitaverint, ibique iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint, indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta, semel lucrandam, applicabilem quoque animabus igne piaculari detentis benigne concedit: iis vero qui, corde saltem contrito, durante tempore enunciato, ipsas ecclesias vel oratoria publica inviserint, atque in eis uti supra oraverint, indulgentiam partialem centum dierum semel unoquoque die acquirendam, applicabilem pari modo animabus in purgatorio existentibus, indulget.

Die 22 maii 1912.

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

NOVITIATUS PROVINCIAE S. MICHAËLIS ARCHANGELI TRANSFER-
TUR IN RECESSUM S. PAULI A CRUCE, VULGO MELAY.

Nº 2532/40

Beatissime Pater,

Praepositus Provinciae S. Michaëlis Archangeli, Cong. Passionis Jesu, humillime facultatem implorat canonicè erigendi Novitiatum in loco «Melay» (Vendée), supresso qui nunc exstat in loco v. «Hardinghem» (Arras), ob allatas rationes. — Et Deus, etc.

BENIGNA CONCESSIO

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, S. Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, facultatem truhit Rev.mo P. Praeposito Generali deveniendi ad canonicam erectionem Novitiatus iuxta preces, altero suppresso, dummodo omnia habeantur, quae de iure requiruntur ad formam SS. Canonum 554, 564 Codicis Iuris Canonici. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 16 Aprilis 1940.

L. ✠ S.

† FR. L. H. PASETTO, *Secr.*
V. Padovani, *Subsecr.*

EXECUTIO RESCRIPTI

J. X. P.

Potestate Nobis commissa, Novitiatum in Recessu Melay, praesenti executoriali Rescripto, canonicè erigimus ac erectum declaramus, ad formam Sacrorum Canonum, eo suppresso qui hucusque extitit in Recessu v. «Hardinghem», servatis ceteris de iure servandis.

Datum Romae, die 19 Aprilis 1940.

L. ✠ S.

TITUS A S. PAULO A CRUCE
Praep. Generalis C. P.

ACTA CURIAE GENERALIS

I.

INDICUNTUR PRECES PRO FELICI EXITU CONGREGATIONIS GENERALIS
SUPER VIRTUTIBUS SERVI DEI P. IOANNIS BAPTISTAE A S. MI-
CHAELE ARCH. C. N. (I)

TITUS A S. PAULO A CRUCE

Congregationis SS. Crucis et Passionis D. N. J. C.

Praepositus Generalis

Superioribus et Religiosis omnibus

salutem in Domino

Die nona mensis Julii anni currentis, coram Summo Pontifice habebitur Congregatio Generalis super virtutibus heroicis Servi Dei Joannis Baptistae a S. Michaële Archangelo, *Fratris germani S. P. N.* Ex felici exitu hujus plenarii coetus procedit publica declaratio pontificia *heroicitatis virtutum* dicti Famuli Dei. Igitur nemo non videt quanti intersit Deum exorare ut omnium nostrum votis faveat.

Qua de re imperamus pro illa die solitas preces, quae prostant ex. gr. in *Acta* anno 1937 pag. 352, persolvendas in omnibus Recessibus, ad quos hoc nuntium congruo tempore pervenerit.

Interim omnibus vobis, dilectissimi, peramanter in Domino benedicimus.

Romae, die 24 maii 1940.

TITUS A S. PAULO A CRUCE
Praep. Generalis

(1) Haec R.mi Praepositi Generalis epistola, tempore utili, ad Provinciales Americae et Hispaniae transmissa est, nec non in Austriam et Germaniam; quoad Italiam missa est ad singulos Recessus.

II.

DE EDITIS MEMORIIS SODALIIUM DEFUNCTORUM

Editae et ad singulas Provincias iam missae sunt Memoriae Sodalium nostrorum anno 1939 vita functorum, vulgo *Cenni necrologici*. Qui eas non receperit, vel alia exemplaria desideret, ad Secretarium nostrum Generalem scribat. Rectores iterum rogantur, ut quam primum, post mortem Sodalium, has Memorias conficiant et Romam mittant.

POSTULATIO GENERALIS

OBLATIONES PRO CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS PROMOVENDIS

EPISCOPI NOSTRI: Exc.mus ac R.mus D. Stanislaus Battistelli, *Episcopus Soanen. Pitilianen.* L. 500.

E RECESSU SS. IOANNIS ET PAULI. Adm. R. P. Bonaventura *Cons. Gen.* L. 100; Recessus: L. 895; collecta in Basilica L. 208.15.

E PROVINCIA PRAESENTATIONIS: Recessus S. *Angeli* (Cura) L. 100.

E PROVINCIA B. M. V. DOLOROSAE: Recessus S. *Sosii* (Falvaterra) L. 160.

E PROVINCIA B. M. V. A PIETATE: Recessus: B. M. V. *Pietatis* (Recanati) L. 10; SS. *Nominum Jesu et Mariae* (Moricone) L. 230; *Immaculatae Conceptionis* (S. Gabriele dell'Addolorata) L. 225; B. M. V. *a Stella* (Madonna della Stella) L. 50; *Visitationis M. B. V.* (S. Giustina) L. 20; «*Eco di S. Gabriele*» L. 152.

E PROVINCIA S. MICHAELIS ARCHANGELI: «*Revue de la Passion*» frs. 355.

E PROVINCIA SANCTISSIMI CORDIS JESU: A. R. P. Rochus, *Praep. Prov.* L. 850; Recessus *Ascain* L. 85.

E PROVINCIA PURISSIMI CORDIS B. M. V.: A. R. P. Iustinus, *Praep. Prov.* L. 50.

E PROVINCIA LATERIS CHRISTI: Curia Provincialis L. 1.000; « S. Costato » L. 30; « Circolo S. Gemma » oppidi « S. Marco in Lamis » L. 350.

E PROVINCIA S. FAMILIAE: A. R. P. Joannes M. *Praep.* Prov. L. 1.645; Recessus: *Habana (Cuba)* L. 250.20; R. P. Iosephus Laurentius (Venezuela) L. 700.

E PROVINCIA SS. CRUCIS: A. R. P. Bonifacius, *Praep.* Prov. Dollars 400.

E PROVINCIA S. GABRIELIS A V. P. : Recessus: *S. Antonii a Padua* (Courtrai) frcs. 475; *S. Pauli a Cruce* (Natoye) frcs 110; *Nostrae Dominae septem dolorum* (Wawre Ste Catherine) frcs 351; *S. Gabrielis a V. P.* (Cruyshautem) frcs 145; *S. Cordis Iesu* (Diepenbeek) frcs 80; *S. Iosephi* (Wesembek) frcs 50.

E PROVINCIA PRETIOSISSIMI SANGUINIS: A. R. P. Benedictus, *Cons. Prov.* L. 80; Recessus: *S. Pauli a Cruce* (Mieres) L. 100; « *El Pasionario* » L. 1.806.

E PROVINCIA MATRIS S. SPEI — Fiorini 800.

Die 1 iunii 1940.

AEGIDIUS C. P. *Postulator.*

DOCUMENTA HISTORICA CONGREGATIONIS

DE PARVA CORONA QUINQUE VULNERUM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

I

DE CORONAE APPROBATIONE ET INDULGENTIIS EIDEM ANNEXIS

Inter devotionis obiecta quae in Ecclesia ad fidelium devotionem et spiritualem eorum utilitatem Indulgentiis ditari solent, specialem considerationem obtinent Coronae, quae, ut ait FANFANI, « ex numeratis globulis constant, filo inter se unitis, et ad numerandas preces, quae recitantur, inserviunt.

« Antiquissimus est usus numerandi preces per coronas, tum apud fideles tum apud ipsos paganos. Inter catholicos tamen

communis evasit praecipue a tempore S. Dominici, post propagatam, ipsa B. Maria Virgine inspirante, devotionem SS. Rosarii. Summi Pontifices, devotionis fovendae causa, complures Indulgentias, utentibus vel etiam deferentibus coronas benedictas, successu temporis concessere » (*De indulgentiis. Manuale theori-co-practicum*. Taurini 1926, num. 113).

Diversae sunt Coronarum species ab Ecclesia approbatae et inter fideles, opera praesertim quorundam Ordinum Religiosorum, ad peculiarem sibi devotionem fovendam, propagatae. Nostrae etiam Congregationi sua est parva Corona a « Quinque Vulneribus » nuncupata, ad devotionem et memoriam Passionis Domini, iuxta finem Sodalitatis proprium, in fidelium cordibus promovendam, quae quidem Corona a Summis Pontificibus luculentissimis documentis approbata fuit et peculiaribus Indulgentiis ditata.

Documenta haec, in unum collecta, heic exhibentur in commodum Sodalium nostrorum, illorum praesertim qui Missionibus dant operam, vel ephemeridum ope inter fideles devotionem erga Passionem Domini, iuxta eorum vocationem, propagare non desinunt.

I)

DECRETUM quo Corona Quinque Plagarum primo approbatur et Indulgentiis ditatur.

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

Ex Audientia SS.mi, die 20 Decembris 1823.

SS.mus D.nus Nr. Leo PP. XII, ex debito Pastoralis Officii sibi a Deo commissi, ad ea libenter intendit, per quae Divinus Cultus, Fideliumque Devotio, praesertim erga D. N. J. C. Passionem, ubique suscipiat incrementum et ad ea quae pro Ecclesiarum Locorumque Regularium ac Personarum in illis studio piae vitae vacantium, profectu, commoditate, ac spirituali consolatione per Sedis Ap.licae providentiam concessa sunt, non modo approbationis munimine roborari, verum etiam ob regularis disciplinae merita et spiritualem Xtifidelium utilitatem Eiusdem Sedis Ap.licae favoribus, gratiis et Indulgentiis ditari. Hinc eni-

xis precibus ex parte Praepositi Generalis Cong.nis Cleric : Excalc : Passionis D. N. J. C. *Passionisti* nuncupat: sibi porrectis, in quibus pro recitatione Coronae quinque Plagarum, quae occasione SS. Missionum, ac Spiritualium Exercitiorum ab Individuis d.ae Congregationis ex instituto Fidelibus distribuuntur, nonnullae Indulgentiae petebantur. Est autem haec Corona certa praecandi formula, qua quinque partes, totidem Gloria Patri in singulis amplectentes, una Angelica Salutatione ad B. Virginem Doloribus affectam, interiecta, et ad Earum singulas partes totidem D. N. J. C. vulnera pia meditatione recoluntur. Inde est quod eadem Sanctitas Sua, singulorum Xtifidelium devotionem ac pietatis opera fovere quam maxime cupiens, huiusmodi supplicationibus inclinata, omnes et singulas Indulgentias in sequenti **Summario** recensitas benigne in perpetuum concessit absque ulla Brevis expeditione ; factaque insuper Praeposito Generali, pro tempore, d.ae Cong.nis, facultate praed.as Coronas sacro ritu benedicendi, vel per se ipsum vel per alios Sacerdotes praefatae Cong.nis sibi benevisos ; eisdemque Coronis applicandi concessas Indulgentias, ad effectum Xtifidelibus distribuendi.

SUMMARIUM

Indulgentiarum Coronae quinque Vulnerum D. N. J. C. a SS.mo Domino Nostro Leone PP. XII concessarum, quae a Clericis Excalceatis Passionis D. N. J. C. vulgo *Passionisti* distribuuntur.

Inhaerendo Decreto felic. rec. Alexandri VII, sub die 6 Februarii 1657, necnon Decreto huius S. Congregationis Indulgentiarum, sub die 5 Iunii 1721, et alio Decreto diei 29 Februarii 1820 circa materiam Coronarum, Sanctitas Sua omnes Christifideles in primis monendos voluit, quod praedictae Coronae, pro consequendis Indulgentiis, sint a Praeposito Generali, vel ab alio eiusdem Congregationis Sacerdote delegato benedictae ; et non transeant Personas illorum, quibus concessae sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur, nec aliqua re, ex praedictis deperdita, pro Ea subrogari altera ullo modo possit, nec non eadem commodari, aut precario dari, aut vendi non possint pro Indulgentiarum communicatione, alioquin amittant Indulgentias iam concessas. His pro clariori intelligentia praenotatis, Indulgentiarum Elenchus recensetur, ut infra, videlicet :

1) Quicumque praefatam Coronam corde saltem contrito, ac devote recitaverit, Indulgentiam unius Anni, semel in die acquirendam, consequetur.

2) Quisquis Coronam, ut supra, decem saltem vices, infra Mensem, recitare de more habuerit, Plenariam Indulgentiam in una Feria Sexta Mensis Martii ac in Festis Inventionis, et Exaltationis SS.mae Crucis, vel in eorum Octavis, semel tantum respectivi octidui spatio lucranda, dummodo vere paenitens confessus, ac S. Communionem refectus fuerit, et per aliquod temporis spatium iuxta Mentem Sanctitatis suae pias ad Deum preces effuderit, percipiet.

3) Plenariam pariter Indulgentiam consequetur, qui praedictam Coronam recitaverit a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum inclusive, ea die, in qua vere paenitens, confessus, Paschale Praeceptum adimpleverit; et in reliquis vero, ex supradictis diebus, Indulgentiam Septem Annorum totidemque Quadragenarum, dummodo, ut supra, dispositus fuerit, adipiscetur.

4) Omnes supradictas Indulgentias unusquisque, aut pro Seipso, aut Fidelibus Defunctis, per modum suffragii, applicare poterit.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

G. Card.lis AB AURIA PAMPHILJ *Praef.us*

L. ✠ S.

A. ARCHIEP. Trapezuntin *Secr.*

N. B. — *In fine huius decreti propria manu apponitur :*

Imprimatur.

Fr. Philippus Anfossi Sac. Pal. Ap.ci Magister.

D. Placidus Ord. S. Benedicti Congr.nis Camaldulensium Tituli S. Crucis in Ierusalem, S. R. E. Presbyter Cardinalis ZURLA, SS.mi D.ni Nostri Vicarius in Spiritulibus Generalis.

Publicetur in forma Ecclesiae consueta hac die 12 Februarii anni 1824.

I. Patr. Constantinop. *Vicesg.s*
Antonius Can.cus Argenti *Secretarius*

2)

DECRETUM quo concessae Indulgentiae confirmantur et extenduntur.

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

Ex Aud.ia SS.mi, die 11 Augusti 1851.

Cum pietas, ac devotio Fidelium erga divini Reparatoris Nostri Passionem ubique suscipiat incrementum per spiritualia praesertim Exercitia, Sacrasque Missiones, quae ab Alumnis Ven: Congregationis Clericorum Regularium Excalceatorum SS. - mae Crucis et Passionis D. N. J. C. peraguntur, SS.mo D.no N.ro PIO PP. IX humillimas preces porrexit R.mus Praepositus Generalis eiusdem Congregationis, ut Indulgentias universi Christifidelibus Coronam Quinque Vulnerum Christi Domini Salvatoris recolentibus a San: Mem. Leone PP. XII Praedecessore Nostro elargitas, de Apostolica benignitate extendere dignaretur. Votis itaque Oratoris clementissime susceptis, Sanctitas Sua, ut Crucifixi Passionis, et Plagarum memoria per frequentiore praefatae Coronae recitationem in Fidelium cordibus validius infigatur, non modo confirmavit singulas Indulgentias in Summario Sacrae huius Indulgentiarum Congregationis sub die 20 Decembris 1823 recensitas, verum etiam Omnibus utriusque Sexus Christifidelibus ipsam Coronam decies saltem in quolibet mense devote recitantibus, Indulgentiam Plenariam in Festivitatibus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, SS.mi Nominis Jesu, Domini - cae Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Christi, ac Transfigurationis D. N. J. C. vel in earum Octiduis, incipiendam a primis Vesperis praedictarum Festivatum, usque ad totas earumdem Festivatum Octavas, semel tantum spatio uniuscuiusque Octidui ab unoquoque acquirendam, dummodo iis diebus vere poenitentes confessi, ac S. Communione refecti aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium iuxta Mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, peramanter voluit impertiri. Facta quoque potestate easdem Plenarias Indulgentias Animabus in Purgatorio detentis applicandi. Praesenti Perpetuis futuris temporibus valituro ab-

sque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Sacretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

L. ✠ S.

F. Card. ASQUINIUS *Praefectus*

A. COLOMBO *Secretarius*

ANNOTATIONES

1) De Corona Quinque Vulnerum in documentis Congregationis nostrae prima mentio occurrit anno 1821; ita enim in libro gestorum huius Recessus SS. Joannis et Pauli, vulgo *Platea*, sub anno praedicto legimus: « Per promuovere secondo il nostro spirito la devozione alla Passione del nostro Signore Gesù Cristo, il P. Reverendissimo, ottenuta la facoltà di benedire, coll'applicazione di molte indulgenze, le corone delle cinque Piaghe, comprò i conii per le medaglie, che va facendo imprimere, e fece inoltre stampare molte migliaia di alcuni foglietti, che contengono alcune brevi ed affettuose orazioni alle medesime SS.me Piaghe, e sia questi foglietti che le corone e medaglie, le va distribuendo, massime ai missionari nostri, acciocchè le diano ai fedeli, e promuovano in tutte le maniere possibili questa salutevolissima devozione » (*Platea del rit. dei SS. Giov. e Paolo*, vol. I, pag. 98).

Huius indulgentiarum concessionis memoriam exhibet amplissimum Decretum Pii PP. VII, sub die 22 Jan. 1822, iisdem fere verbis ac relatum Decretum Leonis XII expressum.

2) Juxta Decretum Pii PP. VII, Corona Quinque Vulnerum quinque partibus constabat, quarum singulae « totidem orationem Dominicalem, salutationem angelicam cum Gloria Patri in singulis complectabantur, una angelica salutatione ad Beatam Mariam Virginem doloribus affectam interjecta ».

Verum Praepositus Generalis ad faciliorem usum Coronae reddendum a Summo Pontifice Leone XII, mense Novembri 1822, viva voce impetravit ut pro lucrandis Indulgentiis sufficienter, in singulis Coronae partibus, quinque Gloria Patri cum una tantum salutatione angelica. De hac concessione extat memoria in citato libro recessus generalitii, in quo legitur: « Eletto al Pontificato l'E.mo Della Genga, Card. Vicario, che assunse il nome di Leone XII, il P. Preposito, accompagnato dal Cons. Generale Luca, fu a fargli visita. Sua Santità li accolse con mostre

di amorevolezza. Venuto poi il Santo Padre a S. Gregorio nell'ottavario dei morti, tutta la Comunità Religiosa fu a baciargli il Piede, nella sacrestia di quei Monaci, e il Papa esprese i sentimenti di affetto che aveva verso la nostra Congregazione. Per facilitare poi e così promuovere maggiormente la devozione alla Passione SS.ma di Nostro Signore Gesù Cristo, il *P. Preposito ottenne che per l'acquisto delle indulgenze concesse alla recitazione della Corona delle Cinque Piaghe bastasse la recita di cinque Gloria Patri e un'Ave Maria per ogni posta*. Fece anche stampare una gran quantità di devote orazioncelle ad ognuna delle SS. Piaghe » (*Platea*, pag. 101).

3) Haec Summi Pontificis concessio, qua facilior et brevior reddebatur recitatio Coronae Quinque Vulnerum, expressa invenitur in supra relato Decreto sub die 20 Decembris 1823, in quo Coronae veluti definitio his verbis traditur: « *Est haec Corona certa precandi formula, qua quinque partes, totidem Gloria Patri in singulis complectentes, una angelica salutatione ad B. Virginem Doloribus affectam interiecta, et ad eius singulas partes totidem Domini Nostri Jesu Christi Vulnera pia meditatione recoluntur* ».

4) His postremis verbis innuitur necessariam esse in Coronae recitatione piam meditationem quinque Vulnerum Jesu Christi. Ad hanc meditationem fidelibus faciliorem reddendam idem Praepositus, qui tunc erat Paulus Aloisius a Virgine Maria, breves oratiunculas edi curavit, quarum tamen recitatio ad lucrandas indulgentias minime requirebatur, cum ex superius dictis sufficiat tantum quinque Gloria Patri cum una salutatione angelica in singulis Coronae partibus recitare. Quo autem ordine Christi Vulnera sint in Coronae recitatione, pia mente, recolenda, in documentis non dicitur. Ordinario, in prima parte Plaga pedis sinistri recolitur, in secunda, Plaga pedis dexteri, dein tertio et quarto loco Plagae sinistrae et dexterae manus, ac tandem quinto loco Plaga S. Lateris.

5) Corona debet esse confecta in forma praescripta ab Ecclesia, idest globulis ex materia solida, uti ferro, ligno, ebore, corallo etc... solidoque filo inter se unitis. Benedici etiam possunt Coronae quarum globuli sint ex vitro *solido compacto et non insufflato* (s. c. *INDULG.*, 29 Febr. 1820, ad 2; s. *PAENIT.*, 21 Dec. 1925). Si filum rumpatur sive voluntarie, ut iterum catena nectantur globuli, sive involuntarie et fortuito, coronae Indulgen-

tias non amittunt, quia eaedem perseverant quoad formam moralem (s. c. INDULGENT., 10 Jan. 1839).

6) Inde ab initio singulas partes Coronae numismatibus Jesu Christi Plagas et B. Virginem Dolorosam exprimentibus, distinguere consuevisse videtur. Attamen eorundem Numismatum appositionem pro lucrandis Indulgentiis haud necessariam esse novimus ex authographa Rev.mi Praepositi Generalis Antonii a S. Joseph declaratione, Pontificio Decreto apposita his verbis: « Testor ego infrascriptus, SS. Dominum nostrum Papam Leonem XII, ad mei instantiam, vivae vocis oraculo declarasse: in Coronis Quinque Plagarum Domini Nostri Jesu Christi, Numismatum has Quinque Plagas et Beatam Mariam Virginem Dolorosam exprimentium appositionem non esse necessariam, ut eadem Coronae ab habentibus facultatem benedici et concessae Indulgentiae illis applicari, nec non a recitantibus illas respective lucrari possint ac valeant. In quorum fidem etc...

« Datum ex recessu SS. Joannis et Pauli de Urbe, hac die 25 Junii 1828. ANTONIUS A S. JOSEPH, *Praepositus Generalis* ».

7) Ex duobus supra relatis Pontificiis Decretis sequentes Indulgentiae, defunctis etiam applicabiles, Coronis a Quinque Vulneribus adnectuntur:

1) Indulgentia plenaria semel in die:

a) In una feria VI mensis Martii, pro iis qui intra eundem mensem decem saltem vices coronam recitaverint;

b) In festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, Nativitatis Domini, Epiphaniae, Circumcisionis, SS.mi Nominis Jesu, Dominicae Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Christi, ac Transfigurationis D. N. J. C., vel in eorum octiduis, iis qui ipsam coronam decies saltem quolibet mense devote recitaverint;

c) Die qua paschale preceptum adimpletur iis qui coronam recitaverint a Dominica Passionis ad Sabbatum Sanctum inclusive.

Ad praefatas indulgentias lucrandas requiruntur praeterea Confessio, Communio, visitatio alicuius ecclesiae aut publici oratorii, et oratio ad mentem Pontificis.

2) Indulgentia partialis:

a) Septem annorum totidemque quadragenarum qualibet die a Dominica Passionis ad Sabbatum Sanctum inclusive;

b) Unius anni semel in die reliquo anni tempore, iis qui Coronam corde saltem contrito ac devote recitaverint.

8) Pro dictis Indulgentiis lucrandis necessario requiritur ut Corona sit benedicta a Praeposito Generali Congregationis nostrae vel ab alio Sacerdote eiusdem Congregationis ab eo delegato. Delegatio haec hodie omnibus Sacerdotibus Congregationis nostrae concessa est, ut constat ex novissima Collectione Facultatum et Indulgentiarum n. 26. Sacerdotes autem qui ad nostram Congregationem non pertinent, pro impetranda facultate Coronam Quinque Plagarum benedicendi debent directe ad S. Paenitentiarum Apostolicam preces mittere, a proprio Ordinario commendatas, ut aperte constat ex Decreto eiusdem S. Paenitentiarum sub die 20 Martii 1933 (*A. A. S.*, vol. XXV, pag. 170: *Acta Congr.*, vol. XII, pag. 107).

9) Ritus benedicendi Coronas Quinque Vulnerum, non tamen ex praecepto adhibendus, cum sufficiat unicum signum crucis, sequens est: « Adiutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit caelum et terram. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. OREMUS. Rogamus te, Domine Sancte, Pater omnipotens aeternae Deus, ut hanc coronam (vel has coronas) quinque Vulnerum dilectissimi Filii tui Domini Nostri Jesu Christi benedicere digneris, ut qui eam (vel eas) recitaverit, meritis Passionis eiusdem Filii tui gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futurum. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea aspergantur coronae aqua benedicta (*Collect. Caerem. et Precum ad usum Cler. Excalceat. SS. Crucis et Pass. D. N. J. C.*, Romae, edit. altera, 1912, pag. 106).

10.) Clausula suprarelati Summarii Indulgentiarum, qua statuitur « coronas benedictas commodari aut precario dari non posse », disciplinam ante Codicem vigentem refert, qua expresse determinatum erat res benedictas Indulgentias amittere, si post usum aliis donatae fuissent, aut alio modo ab aliis possessae. Habebatur enim tunc, tanquam regula generalis, Indulgentias reales obiectis applicatas evadere per usum quasi personales illorum, qui primum iis rebus tanquam domini usi fuissent. Disciplina haec per Codicem immutata fuit, et proinde hodie « Indulgentiae coronis aliisve rebus adnexae tunc tantum cessant, cum coronae aliaeve res prorsus desinant esse vel vendantur » (*Can. 924, § 2*). Non igitur amittunt Indulgentias coronae, si commodentur aut aliis precario dentur.

11) Ex his expositis liquido patet ad Coronam Quinque Vulnerum, Congregationis nostrae propriam, minime referri posse

Decretum S. Officii quo Eminentissimi ac Rev.mi DD. Cardinales, rebus fidei morumque tutandis praepositi, prae oculis etiam habito Decreto die 26 Maii 1937 « de novis cultus seu devotionis formulis non introducendis, deque inolitibus in re abusibus tollendis » decreverunt: Non licere inter fideles fovere devotionis formam vulgo — Rosario delle SS. Piaghe di N. S. G. C. » (A. A. S., vol. XXXII, pag. 24). Etenim, praeter quam quod nova cultus seu devotionis forma aut inolitus abusus vocari nullo potest Corona, quae et luculentis Sedis Apostolicae documentis et peculiaribus Indulgentiis donata fuit, ipsa invenitur in Sylloge seu Collectione Precum Piorumque Operum — num. 96 — quam S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, die 23 Junii 1898, suo Decreto, genuinam et authenticam declaravit. In novissima Collectione authentica, a S. Paenitentia anno 1937 die 31 Decembris edita, de Corona Quinque Vulnerum mentio non fit, quia eadem Collectio complectitur tantum Indulgentias, « pro quibus lucrandis non requiritur benedictio ab aliquo sacerdote regulari vel saeculari, pietatis obiectis impertita » (*Praeces et Pia Opera in fav. Christifidelium etc.*, Typis Polygl. Vat. 1938, pag. VII, Praenotanda 1). Facultas insuper easdem Coronas benedicendi a S. Paenitentia Apostolica concedi solet Sacerdotibus, qui ad eam preces mittant, litteris commendatiivis proprii Ordinarii oblatis. Decretum igitur S. Officii supra relatam (pag. 252), referendum videtur ad novam quamdam devotionis formam, cui titulus — Rosario delle Sante Piaghe di N. S. G. C. o della Misericordia — quae precibus tantum iacularibus constat, et magnificis divinis promissionibus ornata his temporibus iactabatur.

II.

DE FACULTATE SACERDOTES EXTRANEOS DEPUTANDI PRO BENEDICENDIS CORONIS QUINQUE VULNERUM.

Vi Decreti Leonis XII, quod supra retulimus, Praepositus Generalis Congregationis nostrae Sacerdotibus tantum suae Congregationis facultatem facere poterat benedicendi Coronas Quinque Vulnerum cum applicatione Indulgentiarum. Cum autem haec devotio, opera et zelo Missionariorum nostrorum, propagata esset in locis etiam ubi nullae extabant Congregationis domus, supremus Congregationis Moderator, inde ab anno 1826, facultate

tem obtinuit Sacerdotes extraneos pro dictis locis subdelegandi ; quae quidem facultas primum ad septennium concessa et pluries deinde etiam Apostolicis Litteris in Forma « Brevis » renovata, tandem per Rescriptum Pii X, sub die 18 Maii 1907, perpetua evaserat.

Attamen S. Paenitentiaria Apostolica per generale Decretum, quod incipit « *Consilium suum persequens* » diei 20 Marti 1933, « de expresso mandato SS.mi Domini Nostri Pii XI », quod ad privilegia quibusdam Ordinibus vel Congregationibus religionis concessa benedicendi coronas easque ditandi indulgentiis statuit : « haec ipsis manere, ea tamen lege, ut in posterum membra eorumdem Ordinum vel Congregationum uti eisdem valeant tantum personaliter, non autem ita ut ea concedere quoque possint aliis Sacerdotibus ad eosdem Ordines vel Congregationes non pertinentibus ; hi enim omnes facultates, usui talium privilegiorum necessarias, tantummodo a S. Paenitentiaria obtinere poterunt, oblati peculiaribus proprii Ordinarii litteris commendatiis » (Cfr. A. A. S., vol. XXV, pag. 170 : *Acta Congr.* vol. XII, pag. 108).

Hinc, subdit Ill.mus ac Rev.mus Dominus Joseph Rossi in perspicuo huius Decreti Commentario, « parlando delle corone a) *I Domenicani* possono essi bensì benedire la corona del Rosario della Vergine e annettervi le indulgenze dette appunto del Rosario ; b) *i Serviti* possono benedire la corona dei sette dolori della Vergine e annettervi le relative indulgenze ; c) *i Crocigeri* possono benedire le corone e annettervi le loro indulgenze ; d) *gli Agostiniani* possono benedire le corone per i cinturati arricchendole delle proprie indulgenze ; e) *i Passionisti* possono benedire la Coroncina delle cinque Piaghe di Nostro Signore e annettervi le relative indulgenze ; f) lo stesso dicasi *dei Trinitari, dei Camaldolesi, dei Carmelitani* ecc... per le corone proprie ; nessuno però di questi e di altri Ordini e Congregazioni religiose dal 1° aprile 1933 può comunicare a Sacerdoti — sia secolari che regolari — non appartenenti al proprio Ordine o Congregazione, simili facoltà. » (*Facoltà e Indulti in materia di Indulgenze. Brevissima analisi del Decreto « Consilium suum persequens » 20 marzo 1933, pag. 27, num. 15*).

Nullius igitur in praesentiarum sunt valoris Rescripta et Litterae Apostolicae, quorum vi supremus Moderator Congregationis nostrae sacerdotes extraneos subdelegare poterat pro bene-

dicendis Coronis quinque Vulnerum. Ea tamen hic referre iu-
bit ad notitiam tantum historicam, ut Sodales nostri prae oculis
habeant omnia documenta, etiam hodie abrogata, Coronam a
Quinque Vulneribus respicientia.

1)

*RESCRIPTUM quo potestas Praeposito Generali ad septen-
nium conceditur subdelegandi unum tantum Sacerdotem extraneum
in locis, ubi Congregatio nostra non existit.*

Beatissimo Padre,

Paolo Luigi di Maria Vergine, Preposito Generale dei Pas-
sionisti, O.re U.mo della S. V., devotamente espone essere state
già concesse dalla bontà di V.ra Santità per organo della Sag.
Cong.ne, come dal Decreto dei 20 Dicembre 1823, per la Corona
delle S. Piaghe di Gesù Cristo alcune indulgenze applicabili anche
per modo di suffragio alle anime del Purgatorio, con la condizio-
ne, che le corone indicate debbano essere benedette dall'O.re, ov-
vero da qualche altro Sacerdote della Cong.ne dei Passionisti da
lui deputato. Essendosi peraltro propagata una tal divozione in
molti luoghi, sì dello Stato Pontificio che dell'Estero, l'O.re è
costretto a supplicare la S. V. acciò si degni benignamente accor-
dargli di poter deputare altri Sacerdoti Secolari e Regolari, per
benedire le sud.e Corone in quei luoghi, ove non esistono i Ritiri
della Congregazione dei Passionisti, onde i Fedeli possano essere
partecipi delle Indulgenze. Che.....

Ex Audientia SS.mi

SS.mus D.nus N.r Leo PP. XII O.ri benigne fecit potesta-
tem subdelegandi in Locis, in quibus Eius pii Instituti Congrega-
tio non existit, unum tantum Sacerdotem ad effectum benedicen-
di Coronas SS.rum D. N. J. C. Plagarum, eisdemque applicandi
omnes et singulas Indulgentias consuetas. Praesenti ad Septen-
nium valituro, non obstantibus in contrarium facientibus qui-
buscumque. Datum Romae ex Sec.ria S. Cong.nis Indulg.rum,
die 20 Septembris 1826.

P. Card. NAVA *p. Praef.*

A. Archiep. TRAPEZUNTIN. S. C. I. *Secretarius*

2)

RESCRIPTUM quo eadem Facultas ad alterum septennium prorogatur.

Beatissimo Padre,

Il Preposito Generale dei Passionisti, attesoche la divozione alle Piaghe SS.me di Gesù Cristo si va sempre più propagando non solo in Europa, ma anche nelle altre parti del Mondo, supplica la Santità Vostra che voglia degnarsi prorogare la facultà espressa nel foglio annesso. Che si....

Ex Audientia SS.mi

SS.mus Dominus N. Gregorius PP. XVI benigne annuit iuxta preces, servato in reliquis tenore primae Concessionis. Praesenti ad Septennium valituro absque ulla Brevis exped.ne. Datum Romae ex Secr.ria S. Cong.nis Indulg.m, die 15 Aprilis 1844.

I. Card. VIGNALE *Pro Praef.*
Iacobus Gallo *Secretarius*

L. ✠ S.

3)

Litterae Apostolicae in forma « Brevis », quibus dicta facultas extenditur ad decennium.

PIUS PP. IX.

AD FUTURAM REI MEMORIAM. Exponendum nuper Nobis curavit Dilectus Filius Petrus Paulus a Virgine Perdolenti, Praepositus Generalis, ut praefertur, Congregationis Clericorum Discalceatorum Passionis D. N. Jesu X.ti nuncupat. Jam alias ab hac Sancta Sede Praeposito Generali in dicta Congregatione pro tempore existenti veniam fuisse concessam, cujus vi ipse in Locis ubi Clerici Discalceati Passionis D. N. Jesu X.ti non existunt, uni tantum Presbytero Saeculari, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti Regular., subdelegare possit facultatem benedicendi CORONAS precatorias QUINQUE VULNERUM D. N. Jesu X.ti nuncupat. eisque Indulgentias ab hac eadem S. Sede concessas applicandi. Cum vero postremae concessionis tempus jam desierit, humiles preces Nobis porrexit idem Dilectus Filius, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate Ap.lica dignaremur. Nos ad augendam

in X.tifidelium animis devotionem erga Passionem Dominicam pia charitate intenti, hujusmodi precibus obsecundare volumus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Ap.lorum ejus auctoritate confisi, Praeposito Generali Congregationis Clericorum Discalceatorum Passionis D. N. J. X.ti nuncupat. nunc et pro tempore existenti dictam facultatem in aliud proximum decennium, servato in omnibus priorum concessionum tenore, Auctoritate Nostra Apostolica prorogamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XIX Aprilis MDCCCLXIV, Pontificatus Nostri Anno Decimoctavo.

4)

Litterae Apostolicae in forma « Brevis », quibus ad decennium datur potestas subdelegandi unum vel plures Sacerdotes extraneos, ubi Sacerdotes Congregationis nostrae non adsunt.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM. Exponendum nuper Nobis curavit dilectus filius Bernardus Maria ab Jesu Praepositus Generalis Congregationis Clericorum Discalceatorum Passionis D. N. J. C., iam alias ab hac S. Sede Praeposito Generali pro tempore dictae Congregationis concessum fuisse, ut ipse in locis ubi Clerici Discalceati Passionis D. N. J. C. non existunt, uni tantum Presbytero saeculari, vel cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regulari, subdelegare possit facultatem benedicendi coronas precatorias quinque vulnerum D. N. J. C. nuncupatas, eisdemque a S. Sede Indulgentias concessas applicandi. Jam vero cum pium hoc exercitium certas preces recitandi ad memoriam recolendam sacrorum Vulnerum Salvatoris Nostri inter fideles paulatim diffusum admodum fuerit, multique ex omnibus regionibus Sacerdotes dicta ut sibi facultas detur, praefatas coronas precatorias benedicendi efflagitent, idem dilectus filius humiliter a Nobis petiit, ut non unum tantum, sed plures etiam, si opus fuerit, Presbyteros subdelegandi potestatem Praeposito Generali pro tempore dictae Congregationis concedamus. Nos igitur piis huiusmodi precibus benigne obsecundare volentes de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Praeposito Generali Congregatio-

nis Clericorum Discalceatorum Passionis D. N. J. C. nunc, et pro tempore existenti, ut iis in locis ubi Clerici non adsunt dictae Congregationis, uni vel pluribus Presbyteris saecularibus, vel cuiusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti Regularis facultatem benedicendi coronas precatorias a quinque Vulneribus D. N. J. C. nuncupatas, iisdemque Indulgentias ab hac S. Sede concessas applicandi facultatem subdelegare licite, ac libere possit, et valeat, ad decennium concedimus, et elargimur.

In contrarium faciend. non obstan. quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die X Julii MDC-CCLXXXIII, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

5)

Dicta facultas ad aliud decennium per RESCRIPTUM prorogatur.

Beatissimo Padre,

Il Generale dei Passionisti prostrato al bacio del S. Piede, supplica umilmente la S. V. per una proroga ad decennium del privilegio di benedire le Corone delle Cinque Piaghe, dette della Passione, con la facoltà al Generale pro tempore di delegare i Sacerdoti Regolari e Secolari a benedire dette Corone.

Tale privilegio fu ottenuto la prima volta dalla felice memoria di S. S. Pio IX per via di semplice Rescritto e così poi sempre ogni dieci anni fino al 9 Luglio 1894.

Che ecc.

Ex audientia SS.mi habita a me infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Cong.nis Episcoporum et Regularium, die 18 Iulii 1904. Sanctitas Sua benigne annuit precibus P. Generalis Oratoris pro petita prorogatione ad aliud decennium ad formam praecedentis indulti. Insuper indulget ut praesens Rescriptum habeatur loco litterarum Ap.licarum in forma Brevis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae.

D. Card. FERRATA Praef.

L. ✠ S.

Ph. GIUSTINI Secret.

Tandem, ut supra innuimus, Pius Papa X authographo Rescripto sub die 18 Maii 1907, quo privilegia Congregationi concessa confirmavit, dictam potestatem Praepositi Generalis Sacerdotes extraneos subdelegandi perpetuam reddidit.

CHRONICA CONGREGATIONIS NOSTRAE

I.

ELECTIONES, ORDINATIONES SACRAE, PROFESSIONES

Ex Recessu SS. Ioannis et Pauli. — *Ordinationes sacrae.*
— Die 16 Iunii 1940, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Francisci Pascucci, Episcopi Sionen. et Secretarii Vicariatus Urbis, in Ecclesia Omnium Sanctorum, Sacrum Presbyteratus Ordinem susceperunt *Patres*: *Nazarenus a Virg. Perdolente* et *Leopoldus a Virg. Immaculata*, e Prov. Praesent. B. M. V.; *Raphaël a Corde Mariae, Fidelis a SS. Cordibus et Maurus a Iesu Passo*, e Prov. a Latere Iesu; *Raphaël a SS. Trinitate, Michaël ab Assumptione B. M. V., Aloisius a Regina Martyrum, Gabriel a Virg. Perdolente, Henricus a Cruce*, e Vice-Prov. Poloniae.

Professiones perpetuae. — Ad altare ubi Corpus S. Patris nostri Legiferi reconditur, vota perpetua emiserunt, die 14 Aprilis 1940, *Confr. Franciscus Salesius a SS. Cordibus Iesu et Mariae et Wolfgangus a Corde Imm. Mariae* e Commissariatu Germanico, et die 29 eiusdem mensis *Confr. Robertus a SS. Rosario* e Prov. B. M. V. Dolorosae.

Ex Prov. Praesentationis B. Mariae Virg. — *Capitulum Provinciale.* — Habitum est a die 25 ad diem 30 Maii 1940, in Recessu SS. Salvatoris ad Scalam Sanctam, eique praefuit Rev.mus P. Praepositus Generalis. Electi autem fuerunt:

In Praepositum Provinciale: REV.MUS P. TITUS A IESU;
in primum Consultorem: Adm. R. P. *Theodorus a Virgine Perdolente*;

in secundum Consultorem: Adm. R.P. *Petrus a Pretiosiss. Sanguine*;
in Rectorem Recessus SS. Salvatoris (Roma, Scala Santa). R. P. *Xaverius a Corde Iesu*;

„ „ „ Praesentationis (Monte Argentaro): R. P. *Antonius a SS. Salvatore*;

„ „ „ S. Michaëlis Arch. (Cura): R. P. *Paulinus ab Immaculata*;

- in Rectorem Recessus S. Eutychie (Soriano): R. P. *Basilius ab Immaculata*;
- » » » S. Ioseph (Monte Argentaro): R. P. *Patricius a N. Domina S. Cordis*;
- » » » S. Angeli (Vinchiana): R. P. *Fulgentius a S. Venantio*;
- » » » S. Pauli a Cruce (Tavarnuzze): R. P. *Aloysius a Virg. Perdolente*;
- » » » SS. Crucifixi (Borgetto): R. P. *Tarcisius a SS. Sacramento*;
- » » » B. M. V. ab Arce (Alessandria della Rocca): R. P. *Iustinus a Maria SS.ma*;
- in Magistrum Novitiorum (Monte Argentaro): R. P. *Germanus a S. Gabriele*;
- » » » (Alessandria della Rocca): R. P. *Ioachim ab Immaculata*.

Electio extracapitularis. — Cum R. P. *Fulgentius a S. Venantio* electioni de se factae in Rectorem Recessus S. Angeli (Vinchiana) renuntiasset, Curia Provincialis, die 31 Maii 1940, ad idem munus elegit R. P. *Flavianum a Passione*; quam electionem Rev. mus Praepositus Generalis, die 7 Iunii sequentis, ratam habuit et confirmavit.

Professio perpetua. — Die 18 Februarii 1940, in Recessu S. Ioseph, in Argentario monte, vota perpetua emisit *Fr. Franciscus a Virgine Lauretana*.

Ex Prov. B. M. V. Dolorosae — Capitulum Provinciale. — Habitum est a die 6 ad 11 Maii 1940, in Recessu S. Mariae ad Montes, Neapoli, eique praefuit Rev. mus P. Praepositus Generalis. Electi autem fuerunt:

- in Praepositum Provinciale: Adm. R. P. **ANGELUS A VIRGINE PERDOLENTE**;
- in primum Consultorem: Adm. R. P. *Philippus a S. Familia*;
- in secundum Consultorem: Adm. R. P. *Raymundus a S. Andrea*;
- in Rectorem Recessus S. Mariae ad Montes (Napoli): R. P. *Vincentius a Quinque Vulneribus*;
- » » » S. Mariae de Corniano (Ceccano): R. P. *Ioannes a Matre Dei*;
- » » » S. Mariae de Puliano (Paliano): R. P. *Henricus ab Angelo Custode*;

- in Rectorem Recessus S. Sosii M. (Falvaterra): R. P. *Hieronymus a Septem Doloribus* ;
» » » S. Mariae Angelorum (Sora): R. P. *Emygdius a SS. Innocentibus* ;
» » » B. M. V. Gratiarum (Pontecorvo): R. P. *Franciscus Xav. a Virg. Pompeiana* ;
» » » S. Gabrielis Arch. (Airola): R. P. *Caelestinus a S. Gabriele* ;
» » » B. M. V. Dolorosae (Calvi Risorta): R. P. *Theodorus ab Immaculata* ;
in Magistrum Novitiorum (Pontecorvo): R. P. *Amideus a Virgine SS. Rosarii*.

Electio extracapitularis. — Cum R. P. *Theodorus ab Immaculata* electioni de se factae in Rectorem Recessus B. M. V. Dolorosae (Calvi Risorta) renuntiasset, Curia Provincialis, die 28 Maii 1940, ad idem munus elegit R. P. *Lucam a S. Ioseph* ; quam electionem Rev.mus Praepositus Generalis, die 1 Junii, ratam habuit et confirmavit.

Ex Prov. B. M. V. a Pietate. — *Capitulum Provinciale.* — Habitum est a die 3 ad diem 8 Junii 1940, in Recessu S. Mariae Pietatis (Recanati); eique praefuit Rev.mus P. Praepositus Generalis. Electi autem fuerunt:

- in Praepositum Provinciale: Adm. R. P. NORBERTUS A S. MARIA ;
in primum Consultorem: Adm. R. P. *Famianus a Septem Doloribus* ;
in secundum Consultorem: Adm. R. P. *Marinus a Iesu et Maria* ;
in Rectorem Recessus S. Mariae de Quercu (Morrovalle): R. P. *Faustus ab Immaculata* ;
» » » S. Mariae Pietatis (Recanati): R. P. *Pawlinus a Maria Virgine* ;
» » » Iesu et Mariae (Moricone): R. P. *Arsenius a Sacris Cordibus* ;
» » » B. Mariae Immaculatae (Isola del Gran Sasso): R. P. *Romualdus a S. Gabriele* ;
» » » Visitationis B. M. V. (S. Arcangelo): R. P. *Eugenius ab Immaculata* ;
» » » B. M. V. Auxiliatricis (Montefalco) R.: P. *Aloisius a SS. Sacramento* ;

in Rectorem Recessus B. M. V. Immaculatae (S. Angelo in Pontano): R. P. *Valerius a Virg. Perdolente*;

” ” ” S. Ioseph (Pontefelcino): R. P. *Gesualdus a Cruce*;

in Magistrum Novitiorum: R. P. *Victorinus a Virg. Auxiliatrice*.

Electio extracapitularis. — Cum R. P. *Felicianus a Iesu* electioni de se factae extra Capitulum in Rectorem Recessus Visitationis R. M. V. (S. Arcangelo) renuntiasset, Curia Provincialis, die 17 Iunii 1940, ad idem muus elegit R. P. *Gregorium a B. Virgine Prodigiorum*; quam electionem Rev. mus Praepositus Generalis, die 18 iusdem mensis, ratam habuit et confirmavit.

Ordinationes sacrae. — Die 3 Martii 1940, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Herculis Attuoni, Archiepiscopi Firmani, in Ecclesia Recessus nostri B. M. V. Immaculatae (S. Angelo in Pontano), sacrum Presbyteratus Ordinem susceperunt *Patres: Silvanus a Virgine Perdolente et Eutychius a S. Lancea*.

Professio perpetua. — Die 6 Martii 1940, in Recessu S. Mariae de Quercu (Morrovalle), vota perpetua nuncupavit *Fr. Ioseph a Virgine Perdolente*.

Ex Prov. S. Pauli a Cruce. — *Ordinationes sacrae.* - Die 23 aprilis 1940, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. J. Curley, Ep... in Ecclesia Recessus nostri S. Ioseph (Baltimore), sacrum Presbyteratus Ordinem susceperunt *Patres: Philippus Franciscus a Quinque Vulneribus, Lucas a V. Perdolente, Theodorus a Maria Immaculata, Carolus Aloisius a S. Ioseph, Iacobus Antonius a S. Corde, Damianus Franciscus a Corde Jesu, Albanus a Matre Perdolente, Aquinas a Matre Dei, Brianus a S. Familia, Florianus a SS. Sacramento, Mauritiu a Matre Dolorosa, Nicolaus a Matre Dolorosa*.

Professio perpetua. — Die 3 Martii 1940, in Recessu B. M. V. a Perpetuo Succursu (West Springfield), vota perpetua emisit *Fr. Thomas a SS. Cordibus Jesu et Mariae*.

Ex Prov. SS. Cordis Jesu. — *Ordinatio sacra.* - Die 11 Februarii 1940, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Raphael Balanzà et Navarro, Ep. Lucensis, in sacello privato eiusdem Praesulis, sacrum Presbyteratus Ordinem suscepit *P. Aemilius a V. Perdolente*.

Professiones temporariae. — Die 2 Iunii 1939, in Recessu Dominae nostrae de Angosto (Villanañe), vota temporaria emise-

runt *Confratres*: *Hieronymus a S. Joseph, Carolus ab Immaculata, Thomas a Domina nostra de Puy.*

Ex Prov. a Latere Jesu. — *Ordinationes sacrae.* - Die 21 Aprilis 1940, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Antonii di Tommaso Ep. Uritani, in sacello seminarii dioecesani, sacrum Presbyteratus Ordinem susceperunt *Patres*: *Petrus Paulus ab Immaculata, Bernardus a Matre Dei, Gerardus a S. Carolo, Casimirus a S. Antonio et Leonardus a S. Gabriele.*

Professio perpetua. — In Recessu S. Pauli a Cruce (Ceglie Messapico), vota perpetua nuncupavit *Fr. Aegidius a Virgine Perdolente*, die 12 Maii 1940.

Ex Prov. Pretiosissimi Sanguinis. — *Professio perpetua.* — Die 21 Decembris 1939, in Recessu SS. Joannis et Pauli (Peñafiel), vota perpetua emisit *Confr. Joannes Crux a Passione.*

II.

VARIA NOTATU DIGNIORA

ILL.MUS ADV. D. IOSEPHUS GIANNINI LUCENSIS A SUMMO PONTIFICE TITULO COMMENDATORIS ORDINIS EQUESTRIS S. GREGORIS MAGNI DECORATUR.

Precibus exhibitis a Rev.mo Praeposito Generali C. N., additis litteris commendaticiiis Exc.mi Archiepiscopi Lucensis, SS.mus Dominus Pius Papa XII, occasione solemnis Canonizationis S. Gemmae Galgani, nominare dignatus est Ill.mum Adv. D. Iosephum Giannini Lucensem, Matthaei filium maiorem, Commendatorem Ordinis Equestris S. Gregorii Magni. Brevis Apostolicus relativus cum honoris insignibus a Secretaria Status missus est ad Rev.mum Praepositum nostrum, et in pervigilio praefatae Canonizationis, in Recessu SS. Ioannis et Pauli, adstante universa religiosa familia cum Praeposito Generali et sua Curia, necnon Rev.mo D. Del Carlo, Vicario Generali Lucensi, et Rev.mo P. Tito a Iesu, Praeposito Provinciae Praesentationis B. M. V., lectus et oblatus est clarissimo Viro. Qui animo valde commotus plurimas gratias egit Summo Pontifici et Praeposito nostro; filiali affectu commemoravit desideratissimum patrem suum, qui angelicam Virginem Lucensem hospitio recepit, atque ad illum dixit tantum honorem spectare; erga Sodalitatem au-

tem nostram venerationem et amorem suae familiae confirmavit; vehementer exoptans ut veteres consuetudines inter utramque; iugiter perseverent. Brevis Apostolici haec sunt verba :

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Tam Lucensium Archiepiscopus quam Congregationis Clericorum Exaltatorum Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Jesu Christi Praepositus Generalis Nos rogant ut te, catholicum virum in exemplum adducendum, e familia apud quam Beata Gemma Galgani multos annos vixit ortum, et bene factis erga Congregationem memoratam conspicuum, nunc peculiari honoris titulo decoremus.

Postulationibus igitur hujusmodi benigne annuentes ut Nostrae quoque benevolentiae testimonium tibi publicum luculentumque tribuamus, hisce te Litteris Nostri Equitem Commendatorem Ordinis Sancti Gregorii Magni, classis civilis, eligimus, facimus atque renuntiamus, teque in eorundem Equitum coetum et numerum referimus.

Tibi proinde, dilecte fili, concedimus ut propriam Equitum hujus Ordinis et gradus vestem induere, ac proprium item insigne, idest majoris moduli Crucem auream, octogonam, rubra superficie imaginem Sancti Gregorii Magni in medio referentem, quae taenia serica rubra, extremis oris flava, collo circumducta, ex aliorum Equitum more, dependeat, gestare libere liciteque possis et valeas. Ne quid vero discriminis tam in veste quam in Cruce hujusmodi deferendis contingat, appositum schema tibi tradi jubemus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV mensis Aprilis, anno MCMXXXX, Pontificatus Nostri II.

Dilecto filio Josepho Giannini, avvocato

ALOYS. Card. MAGLIONE

SOLEMNIS TRIDUANA SUPPLICATIO AD HONOREM S. GEMMAE GALGANI IN BASILICA SS. IOANNIS ET PAULI DE URBE.

Post solemnem Canonizationem in Basilica Vaticana, die 2 Maii, Recessus SS. Ioannis et Pauli primus celebravit solemne Triduanam Supplicationem in honorem novensilis Sanctae Gemmae Galgani, diebus 31 Maii, 1 et 2 Iunii; atque christifidelium frequentia et praesertim numero Patrum Cardinalium sacras functiones peragentium necnon Sacerdotum Missam celebrantium difficile superabitur.

Pervetusta Basilica splendide ornata erat. Exterius, inter viridia sarta, frontem Basilicae decorabat imago S. Gemmae ab Angelo ad Calvarium invitatae, eique supposita erat haec inscriptio: *Qui presso le venerate ossa — del grande Apostolo del Crocifisso Paolo della Croce — rendete omaggio o fedeli di Roma — alla serafica Vergine Lucchese — GEMMA GALGANI — che di Gesù Crocifisso portò gli spasimi — nell'anima e nel corpo — e di Paolo della Croce amò chiamarsi — « la più umile figlia ».*

Interius centum fere candelabra, lampades ex electro sustinentia, lucem copiosissimam diffundebant; virides plantae hic illic ad parietes apte dispositae, multi flores ante altare maius et super loricam marmoream, serici panni ex arcubus pendentes, ecclesiam pulcherrime ornabant. In abside, quasi in tentorio ex velluto serico rubro efformato, eminebat imago S. Gemmae coram Crucifixo orantis; in parietibus lateralibus conspiciebantur duae picturae, miracula pro Canonizatione approbata exprimentes. Prima die, hora 7, Missam cum Communionem generali, pro puellis quae in Urbis institutis educantur, celebravit Exc.mus D. ALOISIUS FOGAR, Archiepiscopus titut. Patrensis, eisque fervidam hortationem habuit. Hora 10 solemnia sacra pontificalia obivit E.mus Card. IANUARIUS GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE, Ep. Ostien. et Albanen., S. Collegii Decanus. Hora 17,45 Rosarium; hora 18 oratio panegyrica, habita ab Exc.mo D. STANISLAO BATTISTELLI C. P., Ep. Soanen. et Pitilianen., qui virgineum candorem et heroicam fortitudinem S. Gemmae electissimis verbis praedicavit. Benedictionem Eucharisticam impertivit E.mus Card. RAPHAEL CAROLUS ROSSI O. C. D., Secretarius S. Congr. Consistorialis.

Altera die, iisdem horis, Missam cum Communionem generali celebravit Exc.mus D. STANISLAUS BATTISTELLI pro Sororibus

Novitiis et Probandis, quibus fervida et opportuna verba fecit. Pontificalia egit E. mus Card. AUGUSTUS HLOND S. S., Ep. Gnesen. et Posen., Poloniae Primas. Vespere autem laudes S. Gemmae dixit R. P. D. CYRIACUS PETROCCIA, socialem eius missionem illustrans, utpote quae nostro hoc tempore, erroribus materialismi ac rationalismi imbuto, ordinem supernaturalem et caelestia bona, modo tam mirabili, exemplo vitae suae ostenderit. Benedictionem Eucharisticam E. mus Card. ALEXANDER VERDE, Archipresbyter Basilicae Liberianae, impertivit.

Tertia die, hora 6,30, Missam cum Communionem generali pro mulieribus Actionis Catholicae celebravit Rev. mus D. EDMUNDUS BERNARDINI, Abbas Generalis sacri Ordinis Cisterciensis; hora 8 alteram Missam cum Communionem generali, pro piis Unionibus filiarum B. M. V., E. mus Card. FRIDERICUS CATTANI. Pontificali ritu sacra peregit E. mus Card. FRANCISCUS ASSISIENSIS VIDAL Y BARRAQUER, Archiep. Tarraconensis. Vespere sermonem habuit E. mus Card. CAROLUS SALOTTI, Ep. Praenestin., Praefectus S. Rit. Congr., qui duplex poëma vitam S. Gemmae exprimens, amoris nempe ac doloris, laudibus extulit.

Nemo sane maiore auctoritate, rerum cognitione et eloquentia dicere potuit, quam E. mus Orator, qui ut Advocatus, Fidei Promotor et Praefectus S. Rit. Congregationis, causam S. Gemmae ab iniitiis ad finem prosecutus est. Re quidem vera de stigmatibus praesertim disertissime loquens, ea conferre non dubitavit cum stigmatibus S. Francisci Assisiensis et S. Catharinae Senensis; immo stigmata S. Gemmae mirabiliora dixit quoad modum, quatenus nempe statis diebus renovabantur. Honorem reddidit P. Germano a S. Stanislao C. P., quod angelicam Virginem ad sanctitatis fastigium sapienter duxerit, atque eiusdem primus et insuperabilis biographus extiterit. Alloquens deinde Sodales a Passione, in memoriam revocavit quanta fecerint beatificationi et canonizationi Lucensis Virginis provehendae, eosque vindices stigmatum S. Gemmae vocavit, cum illa semper defenderint, etiam quando magna obscuritas circa Gemmam facta est. Apostrophen clausit dicens missionem Sodalium a Passione nondum esse absolutam, eos nempe debere seraphicam Virginem ubique praedicare, ut omnes eam cognoscant ac diligant.

Sermonem excepit solemne *Te Deum* et Benedictio Eucharistica, data ab E. mo Card. VINCENTIO LA PUMA, S. Congr. de Religiosis Praefecto.

Magna fuit populi frequentia, praesertim functionibus vesperinis; plurimi christifideles Mensae Eucharisticae accesserunt; numero participantium, notatu dignae duae Communiones generales Novitiarum et Probandarum atque Piarum Unionum filiarum B. M. V. Sed omnem expectationem superavit frequentia vere extraordinaria Sacerdotum utriusque cleri, etiam rituum orientalium, Missae Sacrificium litantium. Durante Tri-duana Supplicatione plus quam 660 Sacerdotes, nostris non computatis, in viginti altaribus Ecclesiae et domus, Missam celebrarunt, per plures etiam horas suas vices expectantes. Sabbato, die 1 Iunii, plus quam trecenti fuerunt, ab hora 5 usque ad mediam horam post meridiem. Spectaculum vere mirandum, quod ostendit quantum seraphica Virgo veneretur ac diligatur a Sacerdotibus, pro quibus non solum tam assidue et instanter oravit, sed etiam, uti victima voluntaria, tot pertulit passiones.

Nostra schola cantorum, pluribus aucta cantoribus Basilicarum Urbis, sacras functiones decoravit polyphonicis concentibus, Palestrina, Viadana, Perosi aliisque classicis auctoribus, dum cl. Magister Octavius Andriselli organum musicum pulsabat.

Omnia, Deo favente, perfecto ordine acciderunt, ad honorem S. Gemmae et communem aedificationem.

Omittere nolumus, quod de cetero iam ad aures Sodalium per acta diurna pervenit, die 29 Maii, dum Basilica nostra proximae solemnitati parabatur, hora 5,30 post meridiem, incendium ibidem electricis filis excitatum esse, ac sericos pannos magni arcus centralis combussisse. Cum tamen plures Sodales adstant, flammam circumscribere potuerunt, ita ut nec pannos absidis adurerent nec pretiosum laquear ligneum. Vigiles, statim in auxilium vocati, incendium extinguere absolverunt. Deo favente et S. Gemma intercedente, incendium funestissimas sequelas, quae timendae erant, non habuit; immo ne vestigium quidem fere reliquit.

DE SODALIBUS NOSTRIS IN HOLLANDIA

Litteris ad Rev. mum P. Praepositum Generalem missis a Praeposito Provinciae Matris S. Spei, laetum nuntium accepimus omnes Sodales nostros et Alumnos Hollandeses in suis Recessibus habitare; neminem vulneratum vel ad fugam capiendam coactum esse; nullum Recessum detrimentum accepisse;

milites Germanos urbanissime secum egisse. Nunc iam omnia quiescere, et regularem observantiam diu noctuque vigere. Pro his beneficiis plurimas gratias Deo, Beatissimae Virgini ac S. Gemmae Galgani referendas esse, cum divina protectio in tot ruinis circumstantibus, etiam prope Recessus nostros, clare se ostenderit.

BIBLIOGRAPHIA

MONITUM

Meminerint Superiores et Scriitores Sodalitatis nostrae omnium operum quae a nostris eduntur, etiamsi tantum novae editiones sint, trina exemplaria ad Secretarium Generalem Congregationis mittenda esse, tum ut in Archivo Generali Congregationis et in sacro Museo ad Scalam Sanctam erecto omnia a nostris edita opera, licet exiguae molis, haberi et servari possint, tum ut de iisdem in hoc Commentario notitiam dare valeamus.

A. CARRARA, *Gemma Galgani* (Editrice A. V. E. — Roma), pag. 108, cm. 19 x 12.

Tam suavi et efficaci vi seraphica Virgo Lucensis omnium animos ad se allicit, ut in dies multiplicentur auctores, qui de ipsa scribere velint. Haec nova biographia, a viro litterarum perito conscripta, occasione sollemnis Canonizationis S. Gemmae, brevis et elegantissima est, qualem populares et maxime iuvenes desiderant. Equidem nemo, qui eam aperiat et legere incipiat, facile dimittet, antequam integre pervolutaverit ac legerit. Prooemium scripsit cl. Pierus Bargellini, litteris doctissimus, candide aperiens animum suum vehementer commotum lectione huius mirabilis vitae. Quod in Gemma praesertim iste miratur est sitis inexplebilis dolorum, quam Iesus tam copiose sedabat, ita manifestans Dei electos amoris dolorosi sigillo signandos esse. Placet verba referre, quibus prooemium clauditur: « *Ci voleva, al principio del nostro secolo, una fanciulla stigmatizzata, per ricordarci che la nostra redenzione è venuta dalla passione di Gesù e che solamente il dolore liberamente accettato ha la potenza di liberare le anime. Ci voleva questa piccola Serva, per ricordarci che bisogna amare e soffrire. Il secolo aveva promesso la liberazione dal dolore. Ci aveva illusi. Santa Gemma Galgani non ci disinganna. Ci insegna però che il dolore non si distrugge nè si elude. Si supera e si vince soltanto con l'amore.* »

DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

MONITUM

In exarando nuncio funebri nunquam omissantur : Nomen Congregationis vel Instituti ; dies, mensis et annus mortis ; nomen loci tam sacrum quam saeculare ; nomen Provinciae ; nomen religionis et saeculi defuncti vel defunctae ; dies, mensis et annus primae professionis.

Nuncium vero a Rectore domus, in qua defunctus morabatur, mittendum est tum ad Secretarium Generalem tum etiam ad singulos Provinciales, aliosque Superiores iuxta normas in novis Statutis n. 150 editas.

13. — *Die 6 Aprilis* 1940, in Recessu B. M. V. de Columna (Lima), Prov. SS. Cordis Jesu P. ALFONSUS A N. D. DE MERCEDE (Ladislaus Berrade), qui, natus anno 1908, vota nuncupaverat die 15 Augusti 1925.

14. — *Die 7 Maii* 1940, in Recessu Passionis D. N. J. C. (Deusto-Bilbao), Prov. SS. Cordis Jesu, P. HELLADIUS A V. PERDOLENTE (Helladius Urruticoechea), qui, natus anno 1868, vota nuncupaverat die 20 Septembris 1886.

15. — *Die 13 Maii* 1940, in Recessu S. Annae (Scranton), Prov. S. Pauli a Cruce, FR. ANDREAS A MATRE DEI (Thomas M. Burke), qui, natus anno 1897, vota nuncupaverat die 23 Ianuarii 1921.

16. — *Die 13 Maii* 1940, in Prov. S. Patritii, P. HUBERTUS A S. MARIA MAGDALENA (Iacobus Carruth) qui, natus anno 1869, vota nuncupaverat die 30 Ianuarii 1893.

17. — *Die 18 Maii* 1940, in Recessu S. Mariae ad Montes (Neapoli), Prov. B. M. V. Dolorosae, FR. MICHAEL A SS. SACRAMENTO (Gerardus Bortone), qui, natus anno 1867, vota nuncupaverat die 13 Octobris 1893.

18. — *Die 26 Maii* 1940, in religiosa domo S. Antonii (Wilowfield, Belfast), Instituti Sororum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C. (Bolton), Soror M. AGNES TERESIA IOSEPH A IESU CRUCIFIXO (Kathleen Connolly), quae, nata anno 1905 vota nuncupaverat die 6 Septembris 1932.

Imprimatur : TITUS A S. PAULO A CRUCE Praep. Gen.

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, PASSIONISTA) *Direttore responsabile*

Finito di stampare il 28 giugno 1940 nella Scuola Tipografica

Missionaria Domenicana - Via della Valle delle Camene, 13 - Roma

Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

SACRA CONGREGATIO RITUUM

EDICITUR CONSTARE DE HEROICITATE VIRTUTUM VEN. IOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAËLE ARCH., C. N., FRATRIS GERMANI S. PATRIS NOSTRI, EIQUE TITULUS CONFUNDATORIS TRIBUITUR.

DECRETUM

VITERBIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI IOANNIS BAPT. A S. MICHAËLE ARCHANGELO CONGREGATIONIS CLERICORUM SS. CRUCIS ET PASSIONIS D. N. I. C. CONFUNDATORIS

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.

Divinus hominum Redemptor, ut nos ad caelestia regna revocaret, non aliam nobis proposuit sanctitatis viam, quam Sui sequelam in abnegatione et in cruce: ita ut vitam Iesu in nostra carne mortali manifestemus « *semper, ut ait Apostolus, mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris* » (II Cor. 4, 10).

Non aliam sancti coluere viam ; non aliam putavit esse sequendam Servus Dei Ioannes Baptista a S. Michaële Archangelo, immo in ista fastigium attigisse videtur : sancti Pauli a Cruce, germani fratris, heroicarum sane virtutum aemulator existens.

Uvadae, Aquensis Dioeceseos, in Liguria, e non minus pia quam perspicua stirpe de Daneis, secundus post sanctum Paulum, ex sexdecim filiis, a Luca et Anna Maria Massari ortum duxit die 4 Aprilis anni 1695 Ioannes Baptista. Ab ineunte aetate pietatem, quam a piissima matre cum lacte suxerunt, sancti pueri excolere coeperunt, ac se totos divino cultui mancipare constituerunt. Hinc, spretis puerilibus ludis, orationi per plures horas, etiam noctu, insistent, summo mane sacrum audituri ecclesiam petunt, solitudinem quaerunt, immo paenitentia non modica, etiam flagellis adhibitis, in paterna domo se exercent. Cum autem sanctus Paulus a Cruce novam condendi religiosam familiam in animo habuisset, quae a Ss.ma Cruce et Passione Domini nomen sumeret, habitu ab Alexandrino Episcopo suscepto, eremiticam apud oratorium campestre sancti Stephani, prope Castellatium, vitam incepit, futurae Congregationis regulas sapientissime conscripsit, quas Episcopo approbandas subiecit. Romam ad hunc finem petiit, sed re integra, in Argentarium montem, solitudinis ac contemplationis causa recessit, inde Castellatium rediit, ubi cum Episcopo Alexandrino, Francisco Gattinara, de vestitione fratris Ioannis tractavit. Die 28 Novembris 1721 religiosum Passionis habitum Ioannes accepit, et tamquam bonus Crucifixi miles, imperturbata fiducia in Deum sublimiter erectus, admirabili spiritus ardore una cum sancto fundatore Congregationem ab exordio erigere, erectamque ad maiora incrementa in dies promovere totius suae vitae cursu strenue adlaboravit : hinc vere eius confundator ab omnibus et ab ipso S. Paulo habitus.

Sequenti anno ambo ad solitudinem Montis Argentarii se conferunt, et in derelicto ac vacuo coenobio Eremitarum S. Augustini, Ss.mae Virginis Annunciationi dedicato, considunt. In eo pauperrimo et fatiscente habitaculo, omnibus fere ad vitam necessariis destituti, penuria quoque cibi tentati, summae austeritatis exempla renovantes, vitam ducunt in ieiunio perpetuo et in exercitio assiduae orationis

et contemplationis ; proximorum autem utilitati consulunt, christianam catechesim pauperes ruricolos docendo.

Similem quidem ducendam esse vitam, austeritate plenam, christianis virtutibus elucentem, animarum zelo praeclaram existimaverunt variis in locis ubi successive per aliquot menses commorati sunt, Caietae nempe, Neapoli, in Apulia, et Fodiae ; donec anno 1725 Romam ad lucrandum indultum a Benedicto XIII iubilaeum se conferunt ; ubi quadam die ad Ecclesiam S. Mariae in Domnica accedentes, ab ipso Summo Pontifice, vivae vocis oraculo, Paulus et Ioannes licentiam socios coadunandi obtinuerunt. Sequenti anno in nosocomio S. Gallicani, in Urbe, pro curandis humanae naturae magis repugnantibus infirmitatibus, fundato, a Cardinale Corradini, valetudinarii Protectore, curae infirmorum praeficiuntur ; quo in munere variis modis non solum temporali verum etiam spirituali degentium bono quam maxime incumbunt. Ob perspectas eorum virtutes, caritatis praesertim in Deum et in proximum, reluctantes quidem ob humilitatem, idem Cardinalis eos ad sacerdotium promovendi consilium iniit : ac necessariis praemissis theologiae studiis, et sacris ordinibus de more per intervalla susceptis, tandem in Basilica Vaticana ab ipso Summo Pontifice Benedicto XIII, die 3 Iunii anni 1727 sacerdotio sunt aucti : et summo animi gaudio nec non caelesti perfusi laetitia sequenti die, in festo SS. mae Trinitatis, sacrum primum litarunt. Sed ibi diutius Deus eos commorari non sivit maius et altius apostolicum eis reservans opus : quare, debita discedendi obtenta licentia, ad amatam Montis Argentarii solitudinem se conferunt, ubi eremiticam quidem ducunt vitam, contemplationi, paenitentiae operibus, rerum divinarum studio deditam, at simul actuosam et apostolicum ministerium complectentem. Munere audiendi fidelium confessiones suscepto, prius sacras missiones ad populos finitimos habent, cum ingenti animarum lucro ; postea, a Summo Pontifice accepta facultate, per totam Italiam divini verbi praecones effecti, vitia eradicare, bonos mores instituire, fideles ad extremam usque aetatem indefessi adlaborarunt.

Probe autem noscens Ioannes christianae plebis integritatem a cleri vitae sanctitate pendere, hoc sibi munus maxime proprium re-

tinuit, clericis spiritualia exercitia praedicandi; qua in parte tuenda, ut ipse Paulus ait, quanta spiritus contentione severiorem ecclesiasticam disciplinam instaurare sategerit, quanta animi praesentia obrepentes abusus insectaverit, quanto robore vitiosos mores perstringere solitus fuerit, difficile plane est dictu.

Interim accepta a Benedicto Papa XIV regularum definitiva approbatione, auctis sodalibus, pluribus erectis asceteriis, Ioannes a fratre, die 7 Martii 1744, recessus S. Angeli prope Vetrallam primus Rector instituitur: quo in recessu, addito postea primi Congregationis Consultoris officio, usque ad mortem moratus est. Quibus in muniis omnibus religionis suo praeibat exemplo; quamvis externe austerus et asper videretur, suavi tamen caritate subditos gubernabat, eorumque necessitatibus materno amore providere curabat. Zelo ardentissimo tuendae ac dilatandae Ecclesiae accensus, Deum cum lacrimis precabatur ut eiusdem Ecclesiae necessitatibus succurreret et operarios inconfusibiles, apostolico mandato dignos, ad eam mitteret. In spirituali autem regimine adeo prudens et sapiens erat, ut animas ad altiores perfectionis gradus secure ac facile dirigeret: immo et ipse Sanctus Paulus eum, post ordinationem sacerdotalem, in directorem spiritualement et confessorium suum elegit, eique semper subiectus et eius utens consiliis.

Tandem post innumerabiles aerumnas invicta animi fortitudine superatas, laboribus et paenitentis fractus, die 10 Iulii anni 1765 in gravem morbum incidit. Mortem iam vicinam praesentiens Ioannes, qui portionem suam in hac vita unice existimaverat pati et contemni pro Christo, ad eam se praeparabat, passionem Domini corde recogitans, et in exercitio omnium virtutum, humilitatis praesertim et obedientiae se exercens. Die autem 30 Augusti eiusdem anni, omnibus Ecclesiae sacramentis devotissime susceptis in suavissimo cantu « Salve Regina », ipso Sancto Paulo a Cruce praecinentem placidissime obdormivit in Domino. Ad eius funebria omnis personarum coetus ultro confluit, qui demortui sanctitatem una voce extollebat et praedicabat. Quae sanctitatis fama temporis decursu non modo extincta non est, immo in dies magis efferbuit: plures enim oculares testes qui in processibus pro Causa S. Pauli auditi

fuerunt, communi testimonio affirmarunt, non tantum Paulum sed etiam Ioannem heroicis fulsisse virtutibus, eumque famam sanctitatis adeptum fuisse cum in patria, tum in locis vel urbibus ubi commoratus est vel ministerium apostolicum exercuit. Variis autem de causis factum est ut haec perpulchra Causa per ultra saeculi spatium in sua umbra permanserit, et nonnisi anno 1909 informativi adornati fuerint processus: quibus absolutis, servatis ceteris de iure servandis, Causa Servi Dei Ioannis Baptistae a S. Michaelis Archangelo, praehabito huius Sacrae Congregationis Sectionis Historicae voto favorabili, demum introducta est, signata Commissione die 11 Decembris 1930. Tunc ad normam Motus Proprii Pii Papae XI de Causis Historicis, omisso processu apostolico, tota res nostrae Sectioni Historicae demandata est; quae, ea qua pollet sagacitate et criticae severitate, omnia documenta collegit, investigationes in publicis et privatis archivis maximo studio peregit, et informationem super Causa Servi Dei amplissima et concinna relatione confecit. Quae omnia, additis pro munere Promotoris Fidei generalis animadversionibus, in antepreparatorio coetu coram Rev.mo Cardinali Alexandro Verde, Causae Relatore, die 9 Novembri 1937 de more examinata, iterum in praeparatoria Congregatione, in Aedibus Vaticanis die 26 Aprilis 1938 ad trutinam sunt revocata. Tandem die 9 Iulii anni 1940, coram Sanctissimo D. N. Pio Papa XII, generalia comitia coadunata sunt, in quibus praefatus Causae Relator dubium de heroicis Servi Dei virtutibus discutiendum proposuit. Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores suffragia sua ex ordine protulerunt, quibus perceptis Beatissimus Pater suam mentem satis aperte significavit sententiam tamen suam decretoria differre censuit ut interim, effusis precibus, uberius e caelo lumen exposceretur.

Quum vero mentem suam pandere statuisset, hodiernam selegit diem, Sancto Caietano, Cler. Reg. fundatore, sacram; ea propter accersiri voluit Reverendissimos Cardinales Carolum Salotti, Episcopum Praenestinum, Sacrae Rituum Congregationis Praefectum, et Alexandrum Verde, Causae Relatorem, nec non R. P. Salvatorem Natucci, S. Fidei Promotorem Generalem, meque infrascriptum secretarium, et, Sacro devotissime litato, solemniter edixit: *Ita*

constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum cum in proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia ac Fortitudine earumque adnexis Ven. Ioannis Baptistae a S. Michaële Archangelo in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur ut ad ulteriora procedi possit, nimirum ad disceptationem quatuor miraculorum.

Hoc autem decretum evulgari et in actis Sacrae Rituum Congregationis referre mandavit, die 7 Augusti anni 1940.

CAROLUS Card. SALOTTI, Episcopus Praenestinus
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alfonsus Carinci, *S. R. C. Secretarius.*

II

URBIS ET ORBIS

FESTUM SANCTI JOANNIS LEONARDI, CONFESSORIS, AD UNIVERSAM ECCLESIAM EXTENDITUR, CUM OFFICIO ET MISSA SUB RITU DUPLICI MINORI CELEBRANDUM.

Quum per foundationem Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei, quorum apostolatus proprium est christianam doctrinam populos edocere, Sanctus Joannes Leonardi, cujus opera Missiones a Propaganda Fide institutae sunt, erga Sedem Apostolicam et Sanctam Ecclesiam eximia merita sibi comparaverit, nonnulli Patres Cardinales, pluresque sacrorum Antistites Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XII humiliter adprecari sunt, ut ejusdem Sancti Confessoris festum ab universo christifidelium coetu peragi posset. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Cardinali Praefecto, votis tot S. R. E. Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum libenter deferens festum Sancti Joannis Leonardi, Confessoris, ad universam Ecclesiam, sub ritu duplici minori, cum Officio et Missa huic decreto adjectis, die nona octobris celebrandum, extendere benigne dignata est, addita commemoratione Ss. Dionysii Epis. et Sociorum Martyrum, ad ritum simpli-

cem redacti. Servatis de cetero Rubricis. Quibuscumque non obstantibus.

Die 3 Aprilis 1940.

L. ✠ S.

C. Card. SALOTTI, Ep., *Praefectus*.

A. Carinci, *Secretarius*.

(*A.A.S.* vol. XXXII, pag. 311)

DOCUMENTA PONTIFICIA CONGREGATIONIS NOSTRAE

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

AUTHENTICE DECLARATUR DEVOTIONEM, QUAE AUDIT « CORONA DELLE CINQUE PIAGHE » IN USU APUD NOS, NON INCLUDI IN DECRETO DIEI 29 NOVEMBRIS 1939.

Dal Palazzo del S. Offizio 3 Luglio 1940

Prot. Num. 265/39

Rev.mo Padre,

E' regolarmente pervenuta a questa Suprema S. Congregazione la lettera del Rev. P. Luigi di S. Carlo, Segretario Generale di cotesta Congregazione Religiosa, nella quale si chiedeva se la proibizione alla devozione delle Cinque Piaghe di N. S. G. C., emanata col decreto di feria IV, 29 Novembre 1939, riguardasse ancora « La Corona delle Cinque Piaghe di N. S. G. C. » in uso presso cotesta Congregazione Religiosa.

In proposito, gli Em.mi e Rev.mi Padri di questa Suprema Congregazione, nell'adunanza plenaria di feria IV, del giorno 19 Giugno 1940, hanno decretato :

« Devotio, quae audit « Corona delle Cinque Piaghe di N. S. G. C., » quae in usu est apud Clericos Excalceatos S. Crucis et

Passionis D. N. J. C., non includitur in decreto feriae IV diei 29 Novembris 1939 ».

Nel comunicare quanto sopra, colgo l'occasione per professarmi con sensi di ben distinta stima

della P. V. Rev.ma

Dev.mo

F. Card. MARCHETTI-SELVAGGIANI

Segret.

Al Rev.mo Padre

P. TITO DI S. PAOLO DELLA CROCE

Preposito Generale dei Passionisti

ROMA

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

FACULTAS CONCEDITUR PRAEPOSITO PROV. A VIRGINE PERDOLENTE NOVUM RECESSUM IN LOCO « MURO LUCANO » ERIGENDI.

N. 2015/40

Beatissime Pater,

Praepositus Provincialis Prov. ae a Virgine Perdolente Passionistarum humillime petit a Sanctitate Vestra canonicam domus erectionem in loco vulgo « Muro Lucano », cum omnia habeantur quae pro huiusmodi erectione requiruntur.

Et Deus, etc.

BENIGNA CONCESSIO

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, S. Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audito voto Rev. P. Procuratoris Generalis, Rev.mo P. Praeposito Generali benigne facultatem tribuit deveniendi ad canonicam erectionem enunciatæ domus, cum omnibus privilegiis et gratiis spiritualibus, quibus legitime aliae Domus praefatae Congregationis fruuntur et gaudent,

dummodo tamen in ea omnia habeantur, quae de iure requiruntur ad formam Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae, die 8 Augusti 1940

VINC. Card. LA PUMA, *Praef.*

L. ☩ S.

Fr. L. H. Pasetto, *Secr.*

EXECUTIO RESCRIPTI

J. X. P.

Vigore facultatis Nobis praesenti Rescripto concessae, attentisque expositis a Praep. Provinciali Provinciae a Virgine Perdolente, cum omnia in casu habeantur quae iure communi et Constitutionibus nostris requiruntur, enunciata Domum in oppido vulgo « Muro Lucano » canonicè erigimus et erectam declaramus, cum omnibus iuribus et privilegiis iuxta tenorem Rescripti.

Romae, die 10 Augusti 1940.

TITUS A S. PAULO A CRUCE

L. ☩ S.

Praep. Generalis

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

CONGREGATIONIS PASSIONIS

FACULTAS TRIBUITUR AD DECENNIUM REV.MO PRAEPOSITO GENERALI DELEGANDI SACERDOTES CONGREGATIONIS NOSTRAE AD ADHIBENDAM UNICAM ET APPROBATAM FORMULAM IN BENEDICTIONE QUINQUE SCAPULARIUM.

Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII tributarum, potestatem facit Rev.mo Praeposito Generali Congregationis delegandi Sacerdotes suae Congregationis, ad adhibendam unicam et approbatam formu-

lam in benedictione quinque Scapularium, scilicet: SS. TRINITATIS, PASSIONIS D. N. J. C. et B. M. V. sub respectivo titulo Immaculatae Conceptionis, Septem Dolorum et Montis Carmeli; dummodo ab iis, quibus jus est, eadem respective benedicendi atque imponendi veniam obtinuerint. Contrariis non obstantibus quibuscumque, et servatis de cetero servandis.

Valituro praesenti Indulto ad proximum decennium.

Die 13 Augusti 1940.

A. CARINCI S. R. C. *Secretarius.*

L. ☩ S.

Henricus Dante, *Subst.*

EXECUTIO RESCRIPTI

J. X. P.

Potestate Nobis concessa libenter utentes, attentisque privilegiis, quibus Sodales nostri fruuntur, benedicendi et imponendi Christifidelibus Scapularia (1), delegamus ad decennium omnes Sacerdotes Congregationis nostrae, tempore Missionis, ad adhibendam unicam et approbatam formulam in benedictione quinque Scapularium: Ss. Trinitatis, Passionis D. N. J. C., et B. M. V. sub respectivo titulo Immaculatae Conceptionis, Septem Dolorum et Montis Carmeli.

TITUS A S. PAULO A CRUCE

L. ☩ S.

Praep. Generalis C. P.

(1) Cf. *Collectio facultatum et Indulgentiarum*, Romae 1931, n. 31-34.

II

DECRETUM S. R. C., QUO DISPENSATUR A CONFICIENDA AUCTORITATE APOSTOLICA RECOGNITIONE CORPORIS SERVI DEI PII A S. ALOISIO, CLERICI C. N., CUM JAM RITE PERACTA FUERIT AUCTORITATE ORDINARIA ANNO 1923.

ARIMINEN.

Beatif. et canoniz. Servi Dei

PII A S. ALOISIO

Clerici prof. C. P.

Nº A. 30/15/940.

Cum anno 1923, auctoritate ordinaria peracta fuerit recognitio exuviarum Servi Dei Pii a S. Aloisio, Clerici prof. C. P., quae asservantur in Ecclesia Passionistarum, intra fines dioeceseos Ariminensis, rite aptatae in apposito loculo, Rev. P. Aegidius a SS. Cordibus-Postulator gen. C. P., SS.MUM D. N. PIUM XII enixe exora, vit ut benigne dignaretur dispensare a conficienda recognitione altera, quae praescribitur a Remissorialibus Litteris, ope quarum, in dicta dioecesi, construitur processus apostolicus super virtutibus in specie etc. dicti Servi Dei.

Sacra porro Congregatio Rituum, attentis expositis peculiaribus adjunctis, auctoritate specialiter sibi tributa a SS.MO D. N. PIO PAPA XII, benigne annuit pro gratia juxta preces et petitam dispensationem concessit, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 6 Augusti 1940.

† C. Card. SALOTTI S. R. C. *Praefectus*

L. ☩ S.

A. Carinci, S. R. C. *Secretarius*

ACTA CURIAE GENERALIS

I

LITTERAE GRATULATORIAE REV. MI PRAEPOSITI GENERALIS EXHIBITAE
SUMMO PONTIFICI OCCASIONE DECRETI DE VIRTUTIBUS HEROI-
CIS VEN. IOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAELE ARCHANGELO.

Uniti spiritualmente ai piedi del Vostro augusto Trono, i Religiosi della Passione esprimono alla Santità Vostra i sentimenti della più viva gioia e della più profonda gratitudine per l'odierno Decreto, che proclama le eroiche virtù del Servo di Dio P. Giovan Battista di S. Michele Arcangelo, fratello di S. Paolo della Croce e suo valido sostegno nella fondazione dell'Istituto.

Sono trascorsi quasi due secoli dalla beata morte del Servo di Dio, e benchè la sua memoria sia rimasta in benedizione tra i suoi Confratelli, si sarebbe detto che il Signore volesse coprire d'un velo questa grande figura di asceta e di apostolo, la cui virtù caratteristica fu l'amore del nascondimento. Ma oggi per l'augusta Vostra parola, squarciato ogni velo, noi la vediamo risplendere di fulgida luce dinanzi a tutto il mondo.

Ci torna ora alla mente la gioia provata dal Vostro santo Predecessore Benedetto XIII nel conferire la sacra Ordinazione sacerdotale ai due santi fratelli Paolo e Giovanni Battista, nella Basilica Vaticana. Non appena infatti ebbe loro imposto le mani, dicendo con un'enfasi ed un fervore non ordinario: «*Accipite Spiritum Sanctum*», esclamò, pieno di riconoscenza al Signore: «*Deo gratias*». Presentiva l'illuminato Pontefice quale onore e vantaggio sarebbe derivato alla Chiesa da quella sacra Ordinazione.

Del P. Giovanni Battista in particolare ci dicono le memorie che tutta la sua vita era un continuo gemere, pregare e piangere per i bisogni di Santa Chiesa, tanto che il suo santo fratello Paolo della Croce soleva dire: « Il P. Giovan Battista per la Santa Chiesa ha versato catini di lacrime, e pel continuo pregare ha solcato le guance ». Nè contento solo di pregare e di piangere, era tutto zelo

nel predicare Missioni ed Esercizi spirituali, rivolgendo in modo specialissimo la sua attività apostolica alla santificazione del clero.

Noi preghiamo con fiducia il Signore di confermare coi miracoli le virtù del suo Servo, affinchè ci sia dato di venerarlo quanto prima sugli altari, insieme a S. Paolo della Croce. Si adempirà allora pienamente l'augurio del Vostro glorioso Predecessore Clemente XIV, il quale si sentì ispirato ad affidare al nostro Santo Fondatore la Basilica del SS. Giovanni e Paolo appunto nel riflettere che il Santo aveva avuto un fratello di nome Giovanni. « *Ioannes et Paulus* », Egli disse, ricordando i Santi Titolari della Basilica Celimontana, quasi volesse esprimere il voto che quell'antica Basilica, dedicata a due Martiri fratelli, ricevesse nuova gloria dai due fratelli Danei, Paolo e Giovanni.

Beatissimo Padre, che questa gloria venga per mezzo Vostro aggiunta alla Basilica dei SS. Giovanni e Paolo, tanto cara al Vostro cuore!

Con questi sentimenti nell'animo e con questa lieta speranza, io imploro dalla Santità Vostra l'Apostolica Benedizione sulla Diocesi di Acqui e sulla città di Ovada, luogo di origine del nostro Servo di Dio, sulla diocesi di Viterbo, santificata dalla sua diuturna dimora e prezioso transito, e sull'intero Istituto dei Figli e delle Figlie della Passione.

TITO DI S. PAOLO DELLA CROCE C. P.

Prep. Gen.

II

ELIGITUR SECRETARIUS GENERALIS CONGREGATIONIS

Cum ob electionem Adm. Rev. P. Aloisii a S. Carolo in ^{1^{am}} Consultorem Provinciae Purissimi Cordis B.M.V. vacasset munus Secretarii Generalis, Rev. mus P. Praepositus Generalis, una cum suo Consilio, ad idem munus elegit Adm. Rev. P. Hyacinthum a SS. mo Crucifixo, e Provincia Praesentationis B.M.V.

III

DE NOMINE CHRONISTAE NOTIFICANDO

Velint Praepositi Provinciarum nomen Chronistae, qui ad normam Statutorum nostrorum (n. 132) in unaquaque Provincia de-

signandus est, Secretario Generali notum facere, ut Moderator huius ephemeridis cum eo communicare possit, ad ea quae sunt notatu digniora cognoscenda et Sodalibus typis manifestanda.

POSTULATIO GENERALIS

I

SOLEMNIS PROMULGATIO HEROICARUM VIRTUTUM VEN. SERVI DEI IOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAELE ARCHANGELO, C. P.

Die 7 Augusti nuper elapsi SS. D. N. Pius PP. XII legi et promulgari iussit decretum super Tuto pro solempni Canonizatione B. Ioannae Elisabeth Bichier des Ages, Confundatricis Filiarum a Cruce, vulgo Sororum S. Andreae, ac decreta quibus heroicitas virtutum approbatur Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae a S. Michaelæ Archangelo et Ven. Servae Dei Mariae Teresiae De Soubiran, Fundatricis Societatis Mariae Auxiliatricis.

Praestanti caeremoniae, quae in studio privato Sanctitatis Suae locum habuit, aderant Em.mi ac Rev.mi DD. Cardinales: Carolus Salotti, S. R. C. Praefectus ac Ponens Causae Canonizationis B. Ioannae Elisabeth Bichier des Ages; Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Ponens Causae Ven. De Soubiran, et Alexander Verde, Ponens Causae Ven. Ioannis Baptistae a S. Michaelæ Archangelo; Exc.mus ac Rev.mus D. Alfonsus Carinci, S. R. C. Secretarius, atque Ill.mus et Rev.mus D. Salvator Natucci, Promotor Generalis Fidei.

Interfuit quoque, ob benignam Sanctitatis suae concessionem, una cum Postulatoribus Causarum B. Bichier des Ages et Ven. Mariae Teresiae De Soubiran, Adm. R. P. Aegidius a SS. Cordibus, C. P., Postulator Causae Ven. Ioannis Baptistae a S. Michaelæ Archangelo.

Textus decreti de heroicitate virtutum Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae a S. Michaelæ Arch. ac litterae gratulatoriae Augu-

sto Pontifici a Rev.mo P. Praeposito Generali occasione decreti exhibitae, supra inter Acta Apostolicae Sedis et Curiae Generalis relata sunt.

II

OBLATIONES PRO CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS PROMOVENDIS

E RECESSU SS. JOANNIS ET PAULI: Recessus L. 90.

E PROVINCIA PRAESENTATIONIS: Recessus SS. *Salvatoris* (Roma Scala Santa) L. 20.

E PROVINCIA B. M. V. A PIETATE: Curia Provincialis L. 300. Recessus *B.M.V. de Stella* (Madonna della Stella) L. 150; *Visitationis B. M. V.* (S. Giustina di Romagna) L. 225; *Immaculae Conceptionis* (S. Gabriele dell'Addolorata) L. 50; *Eco di S. Gabriele*, L. 10.

E PROVINCIA SS. CORDIS IESU: A. R. P. Rochus *Praep. Provincialis* L. 33. 20.

E PROVINCIA PURISSIMI CORDIS MARIAE; « *Il Divin Crocifisso* » L. 1.058,00.

E PROVINCIA MATRIS S. SPEI: A. R. P. Clemens *Praep. Provincialis* L. 38.040,65.

E PROVINCIA CALVARI: A. R. P. Camillus *Praep. Provincialis* L. 50.

Die 3 Septembris 1940

Aegidius a SS. Cordibus
Postulator

DOCUMENTA HISTORICA CONGREGATIONIS

(Continuatio: « Acta », 1 Aprilis 1940, pag. 227)

CXLIX

RESCRIPTUM SECRETARIAE STATUS DE MANDATO PPAE PII VII, QUO SODALITATI A CHRISTI PASSIONE PRIMAE OMNIUM, POST GALLICAM RERUM OMNIUM EVERSIONEM, NAPOLEONE I IMPERANTE, FIT POTESTAS HABITUM RELIGIOSUM RESUMENDI ET RECESSUS INCOLENDI

(1814)

(Ex documento originali asservato in nostro Archivio Generali)

Dalla Segreteria di Stato 27 Giugno 1814

La vita esemplare, che li fratelli della Congregazione de' Passionisti hanno sempre tenuta prima del fatale sconvolgimento delle cose, la con-

dotta lodevole, che hanno tenuta nel tempo luttuoso delle passate vicende, i vantaggi spirituali, che la Religione ha ritratto dall'opera di quelli zelanti operai della vigna del Signore, sono rimasti così impressi nella memoria di sua Beatitudine, che rivolgendo di continuo le sue sollecitudini al beneficio della Religione medesima, e della Chiesa, ha creduto di dover dare a questo Istituto un contrassegno de' suoi pontifici riguardi abilitandolo il primo a riunirsi ne' rispettivi Ritiri, a riassumere l'abito, e a vivere secondo le Regole del suo venerabile Fondatore nella sicurezza, che proseguiranno gl'individui del medesimo a contribuire coll'esemplarità della condotta, e con un zelo costante alla edificazione, e al profitto delle anime.

Si porge pertanto al P. Provinciale de' Passionisti, che ora sostiene le veci del Padre Preposito Generale, il riscontro di questa graziosa Pontificia autorizzazione per sua intelligenza e governo.

B. Card. PACCA

*P. Filippo della Concezione
Provinciale de' Passionisti*

Exemplar authenticum hujus Epistolii adeo honorifici, in favorem Congregationis nostrae, asservatur in archivo provinciali ad SCALAM SANCTAM. Ex contextu Epistolii videtur MOTU PROPRIO Summum Pontificem Pium VII statuisse sodalitatis nostrae instaurationem.

Verum in archivo generali asservatur exemplar supplicis libelli exhibiti Summo Pontifici a P. Philippo a SS. Conceptione, in quo haec adnotantur: —

Alla Santità di nostro Signore Papa Pio VII — AL CARD. PROSEGRIO DI STATO per la grazia — per il Provinciale de' Passionisti

Documentum originale jorte asservatur in archivo Secretariae Status, cum Rescripto autographo, ut videtur, Pii VII.

TENOR SUPPLICIS LIBELLI

Beatissimo Padre.

Filippo della Concezione Provinciale de' Passionisti nella provincia di Marittima e Campagna, suddito obbedientissimo della S. V. prosteso a' suoi piedi a nome anche del Preposito Generale, di cui sostiene le veci, supplica la sua paterna bontà a degnarsi di dare il permesso a tutti i PP. e Fratelli della sua Congregazione di ritornare alle loro case Religiose, e al primiero vivere secondo le Regole dell'istituto, esponendole, ch'essendo tutte case povere e senza veruna rendita, non può esservi difficoltà di riacquistarle col poco terreno annesso, e in quest'alma città i compratori della casa de'

SS. Giov. Paolo hanno dato piena libertà ai Passionisti di rientrarvi. Anzi tutte le Case soggette all'Oratore sono state sempre in mano di qualche passionista, e nella maggior parte di esse non è mancato mai Superiore con qualche numero di Religiosi tutti alienissimi dal cattivo partito, ed applicati all'osservanza regolare, e all'aiuto spirituale de' prossimi. Si fa animo a porgere queste preghiere per la necessità di togliere molti giovani dal pericolo di divagamento, e di far nuovi allievi che suppliscano alla perdita seguita in questi ultimi anni di molti buoni soggetti della Congregazione rapiti dalla morte. Che della grazia. ecc.

Extant in archivo Generali aliqua folia, in quibus nonnulla ad rem adnotantur, prout sequitur :

Memorie spettanti a tutta la Congregazione — anni 1814-1815-1816-1817-1818

Registro dell'accaduto in Congregazione dai primi di Luglio 1814 fino a tutto il tempo presente.

IL GIORNO 26 GIUGNO 1814 — mentre nella Chiesa dei SS. Giov. e Paolo si cantavano i secondi Vesperi dei SS. Martiri titolari, il S. P. segnò il rescritto della nostra ripristinazione ad istanza dell'Emo Card. Litta, nonostante l'Editto pubblicato da Mons. Rivarola Delegato con cui si proibiva ai Regolari di qualunque Istituto il riassumere l'abito fino alle determinazioni di Sua Santità.

ADDÌ 27 d.º — La grazia fu notificata al P. Filippo della Concezione Provinciale di Campagna attualmente dimorante in Roma come delegato del Rev.mo Prep. Generale, dalla Segreteria di Stato, come da detto Rescritto originale esistente in Archivio Gen.le.

A DÌ PRIMO LUGLIO incominciarono a riunirsi i Religiosi in SS. Giov. e Paolo, coll'opposizione di alcuni che poi abbandonarono la vocazione e chiesero la dimissione.

A DÌ 8 LUGLIO riassunsero l'abito quelli del Ritiro di Paliano.

A DÌ 10 d.º riassunsero l'abito pochi individui nel Ritiro dei SS. Giov. e Paolo, ove era giunto il P. Preposito

I missionari predetti (cioè i padri mandati provvisoriamente al Ritiro di S. Bernardo in Arezzo) il dì 11 settembre si portarono a dare la missione in Bevagna, che parimenti riuscì assai fruttuosa terminata la missione di Bevagna, il P. Innocenzo col P. Lorenzo di S. Francesco Saverio ch'era venuto in aiuto, partirono per Roma

Da Luglio fino a Dicembre furono riaperti e pieni di famiglia Dieci Ritiri

CL

ALTERUM EPISTOLIUM SECRETARIAE STATUS DE MANDATO PAPAE PII VII, EXARATUM PAUCIS DIEBUS ANTE RESCRIPTUM RELATUM IN NUMERO PRÆCEDENTI, QUO EPISCOPO ARETINO INDULGEBATUR FACULTAS ITERUM APERIENDI RECESSUM CONGREGATIONIS NOSTRAE APUD ARETIUM FUNDATUM.

(1814)

Dalla segreteria di Stato 18 Giugno 1814.

Avendo Mons. Vescovo di Arezzo supplicato Nostro Signore per la grazia di poter riaprire il Ritiro dei Padri Passionisti in quella Città, e richiamarvi i Religiosi acciò dispongano con gli esercizi spirituali, e colle Missioni il Clero ed il popolo alla imminente funzione della Incoronazione dell'Immagine di Maria SS.ma, la Santità Sua s'è degnata di aderire all'istanza a condizione che non passi in esempio prima che siasi firmato un sistema uniforme per la ripristinazione dei Regolari.

Tanto si partecipa al Padre Filippo della SS.ma Concezione Provinciale de' PP. Passionisti ad oggetto che si metta subito d'intelligenza con Mons. Vescovo di Arezzo per l'adempimento sollecito della grazia Pontificia.

B. Cardinal PACCA

Padre Filippo della Santissima Concezione
Provinciale Passionista.

Cum decem post dies universa Sodalitas in pristinum statum restituta sit, uti patet ex Rescripto sub die 27 dicti mensis iunii (cf. num. praeced.) ac propterea Praeposito Generali THOMAE AB INCARNATA SAPIENTIA LICUERIT ROMAM REVERTI, ipse Praepositus Generalis die 31 augusti 1814 rescripsit Episcopo Aretino, seu potius folio a se subscripto patrem Ioannem a S. Vincenzio Ferrerio delegabat ut vice sua ageret hoc in negotio apud Episcopum Aretinum.

Tenor documenti originalis asservati in Archivo Generali est sequens:

Richiesto nell'anno 1804 dall'Ill.mo Rmo Mons. Vescovo d'Arezzo, il P. Giuseppe Maria del Crocifisso, allora Preposito Generale della Congregazione della SS.ma Croce e Passione di N. S. G. C. per la fondazione d'un Ritiro in Arezzo, si venne nel giorno 21 settembre d.º anno alla stipolazione d'un publico e solenne Istromento per gli atti del Rossini,

nel quale Istromento dopo le più serie e lunghe riflessioni e discorsi tenuti in presenza di me infrascritto, odierno Preposito Generale della Congregazione medesima, fu espressa con tutta chiarezza d'unanime consenso d'ambe le parti la libertà ai Passionisti di stare in Arezzo e precisamente nel Ritiro de' SS. Giuseppe e Bernardo, che andava allora a fondarsi, finchè vorranno o potranno, e di allontanarsi e rimoversi da detta Città per qualunque ragione, proveniente o dal Real Governo, o dalla loro volontà, o da altre cagioni.

Essendone poi stati discacciati dal passato Governo e trovandosi la Congregazione dei Passionisti ridotta a somma penuria di soggetti, per opera del prelodato Mons. Vescovo di Arezzo mi fu presentato da S. E. R.ma Monsignor Emanuele De Gregorio il dì 3 del corr. Agosto un Rescritto Pontificio del seguente tenore:

« Il Preposito Generale procuri ogni via d'aprire il Ritiro d'Arezzo, procurando in appresso d'avere dal Vescovo un Locale più adattato allo spirito della loro Regola ».

Quindi essendosi degnata la Santità di N. S. di ordinare nel giorno 14 agosto corr., come dal grazioso Biglietto di S. E. R.ma Mons. Emanuele De Gregorio in data 15 Agosto sud.º che il Preposito Generale de' Passionisti « nel riaprire il Ritiro d'Arezzo, faccia in iscritto una dichiarazione, che il locale di S. Bernardo non ha le qualità prescritte dal Ven. Fondatore della Cong.ne: lo che non può non tenere inquieta la coscienza dello stesso Preposito Generale, nel timore che la comunità ivi esistente non abbia occasione di raffreddarsi, anzi che infervorarsi nello spirito di solitudine tanto proprio dell'Istituto ».

Essendosi altresì degnata la stessa Santità Sua di ordinare nel medesimo giorno 14 Agosto, come dall'indicato Biglietto di S. E. R.ma Mons. De Gregorio, — che lo stesso Preposito Generale de' Passionisti dichiarò parimenti in iscritto « che mentre coll'Oracolo di N. S. si presta, a costo di mancare agl'impegni con le altre Diocesi, non che di chiudere qualche Ritiro, ad aprire con sommo disesto il Ritiro di S. Bernardo, si protesta di farlo provvisoriamente, nell'aspettativa, che l'Ill.mo e R.mo Vescovo d'Arezzo trovi un locale fuori di Città e solitario ».

Essendosi finalmente degnata la Santità Sua di ordinare espressamente, che — « non trovandosi un locale fuori di città e solitario e non verificandosi la traslazione de' Passionisti dal Ritiro di S. Bernardo al locale sud.º dentro un congruo tempo, sia obbligato il Preposito Generale, per non mancare ai suoi doveri verso la Cong.ne, cui presiede, di richiamare la religiosa famiglia ed abbandonare il detto Ritiro, come dal citato biglietto di S. E. R.ma Mons. De Gregorio » —

Quindi è, che per obbedire agli ordini veneratissimi del S. Padre, — io qui sottoscritto Preposito Generale della Cong. della SS. Croce e Passione di N. S. G. C., premesse le dichiarazioni come sopra ordinate da Sua Santità, alle quali intendo uniformarmi in tutto e per tutto, de verbo ad verbum, costituisco e deputo come mio speciale Delegato e superiore interino il R. P. Giov. Pietro di S. Vincenzo Ferreri, affinché situando provvisoriamente i pochi Religiosi, che seco condurrà, nel Ritiro di S. Bernardo secondo la volontà della Santità Sua, procuri che l'Ill.mo e R.mo Mons. Vescovo d'Arezzo al più presto che sia possibile voglia degnarsi rinvenire altro locale entro la sua Diocesi, che sia solitario, e conforme allo spirito del nostro Istituto, e ritrovato ne dia sollecita relazione a me infrascritto, per poter deliberare sull'accettazione, ed accettato che sia da me, possa quindi senza remora trasferirvi e collocarvi una conveniente Religiosa famiglia, ferma sempre rimanendo la libertà ai Passionisti di stare nel nuovo locale fintanto che vorranno o potranno, e di allontanarsene e rimoversene per ragioni provenienti o dal Real Governo, o dalla loro volontà, o per altre cause, come sta espresso nel sopracitato istromento rogato per gli atti del Rossini il dì 21 Settembre 1804 e non altrimenti, iniziando espressamente al detto P. Giov. Pietro di S. Vincenzo Ferreri Delegato e superiore, come sopra, di venire senza mia speciale procura, alla stipolazione di qualunque Istromento, o Apoca, o altro atto publico con chicchessia.

In fede ecc.

Dal Ritiro dei SS. Giov. e Paolo questo dì 31 Agosto 1814.

TOMMASO DELL'INCARNATA SAPIENZA
Preposito Generale de' Passionisti

GIOACHINO DELLO SPIRITO SANTO
Segretario

L. † S.

CLI.

FACULTAS VIVAE VOCIS ORACULO CONCESSA A PIO VII DANDI BENEDICTIONEM PAPALEM IN FINE SPIRITUALIUM EXERCITIORUM.

Die 9 novembris 1815

PRAEMITTENDUM

Alias, nempe sub n. CIX, hoc vivae vocis oraculum innuimus, quo conceditur indulgentiam plenariam acquiri posse etiam die ad libitum eligenda, intra quamlibet ex septem hebdomadis, quae Missionem immediate sequuntur. Sed ex eodem oraculo diei 9 Novembris 1815 P. IOANNES LUCAS a Virgine Assumpta Procurator Generalis impetravit etiam privilegium, de quo nunc sermo est. Labet integrum documentum evulgare.

IESU XTI PASSIO

Essendomi io sottoscritto questa mattina 9 novembre 1815, portato ai piedi della Santità di Nostro Signore Pio VII e avendolo supplicato di due grazie spirituali, attesto che la Santità Sua si è degnata di benignamente concederle *vivae vocis oraculo* e sono le seguenti :

Prima. Concede che l'Indulgenza plenaria lucrata finora in virtù d'un Rescritto della Sa. me. di Pio VI, da' fedeli confessandosi e comunicandosi in ognuna delle sette Domeniche continuate e immediatamente seguenti le nostre Missioni in onore di Maria Vergine Addolorata, possa da oggi in poi lucrarsi da' fedeli medesimi confessandosi e comunicandosi in qualunque giorno di ognuna delle sette settimane continuate e immediatamente seguenti le Missioni nostre.

Seconda. Concede a' Passionisti che daranno Esercizi spirituali si pubblici che privati, la facultà di dare nell'ultimo giorno di essi la benedizione Papale con l'applicazione dell'Indulgenza plenaria come nelle Missioni.

In fede ecc.

SS. Giovanni e Paolo giorno ed anno su detto,

L. ✠ S.

GIO. LUCA DELLA VERGINE ASSUNTA
Procuratore Generale de' Passionisti.

Cf. quoad 1.m — Collectio Facultatum 1931 n. 170. Ex contextu concessionis, tum per RESCRIPTUM n. CIX tum per utrumque ORACULUM VIVAE VOCIS n. CI et praesens, liquet requiri dumtaxat SEPTIES Sacramentorum susceptionem absque ulla Ecclesiae visitatione. Ad rem Cf. etiam Elenchus a. 1867 n. 224 XI. Compendium an. 1882 — n. 188. XI.

Quoad 2.m Cf. Elenchus 1909 n. 32. — Collectio Facultatum n. 23 et, 171 3).

CLII

RESCRIPTUM APOSTOLICUM PII VII, QUO CONCEDITUR FACULTAS SUP-
PRIMENDI RECESSUM FUNDATUM APUD CIVITATEM TARRACINAM.

die 20 novembris 1815

(*Ex originali asservato in Archivo Generali*)

SUPPLEX LIBELLUS

Beatissimo Padre

Il preposito Generale de' Passionisti oratore e suddito ubbidientissimo della Santità Vostra, attesa la diminuzione grande dei soggetti che compongono la sua Congregazione, cagionata dalle passate vicende; per porre numero di Religiosi sufficienti per la piena osservanza nei nuovi Ritiri, trovasi nella dura necessità di abbandonarne diversi. Supplica pertanto la S. Vostra a permettergli di abbandonare tra gli altri anche quello di Terracina, nel quale per esser l'aria insalubre, come costa dalla lunga esperienza, ed a tutti è noto che i poveri Religiosi per lo più malsani non possono fare l'osservanza compita, nè apportare al loro prossimo quel vantaggio, che si vorrebbe, e sicuramente gli apporterebbero stando altrove. E di permettergli altresì di applicare ad altri Ritiri secondo la sua coscienza i mobili appartenenti al medesimo. Che ecc.

Dalla Udienza di N. S. a di 20 novembre 1815.

RESCRIPTUM AUTOGRAPHUM CARDINALIS CONSALVI

Sua Santità ha accordato la grazia di poter abbandonare il Ritiro di Terracina alla fine di maggio 1816 e prima ancora se sarà possibile di provvedere quel Ritiro di altri Religiosi.

E. Card. CONSALVI.

Quoad discessum definitivum a Recessu Tarracinensi Cf. Bollettino a. 1924, pag. 358. Ab Episcopo Tarracinensi iteratae fuere preces pro reditu nostrorum Religiosorum: immo, precibus Episcopi, PIUS VII MANU SUA RESCRIPSIT:

La determinazione di far ritornare in Terracina i PP. Passionisti ritroviamo degna di lode; e però l'Oratore potrà eseguirla.

27 ottobre 1820,

PIUS PP. VII.

Hoc pretiosum autographum Pii VII una cum supplici libello Episcopi Caroli Manassi extat intra plicum continentem documenta, quae respiciunt Recessus Tarracinensis fundationem et suppressionem. Leone XII Summo Pontifice, supplicatum fuit Praeposito Generali ut denuo familiam religiosam collocaret in Recessu derelicto; sed frustra, quia rationes suppressionis adhuc in suo vigore extabant. Item, Pio VIII Pontifice, anno 1830; sed cum conditiones appositae Cives Tarracinenses haud executi fuissent, negotium nullum evasit.

CLIII

BREVE PONTIFICIUM, QUO PIUS VII PIE COLENTIBUS IMAGINEM S. COR-
DIS IESU IN BASILICA SS. IOANNIS ET PAULI INDULGENTIAM
PLENARIAM LARGITUR.

(Die 12 Ianuarii 1816)

(Ex originali charta pergamena asservata in archivo Domus)

PIUS PP. VII

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti: Omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitent. et confessis, ac S. Communionem refectis qui Ecclesiam SS. Ioannis et Pauli Congregationis Clericorum Discalceatorum SS. me Crucis, et Passionis D. N. I. C. de Urbe, et in ea imaginem S. Cordis Iesu Dominica im. te sequen. post octavam solemnitatis SS. mi Corporis Christi a primis vespere, ac secunda Dominica cujuslibet mensis ab ortu usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro Christianorum populorum concordia, haeresum extirpatione,

ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua Dominica praedictarum id egerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus: in quocumque vero anni die iisdem Christifidelibus saltem contritis praedictam Ecclesiam et Imaginem ut supra visitant. et oran. biscentum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes, et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse in Domino indulgemus. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro im.pre, p.nt.ne, adm.me, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur praesentes nullae sint. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XII Ianuarii MDCCCXVI Pontificatus nostri anno decimosesto.

pro D.no Card.
BRASCHIO DE HONESTIS
G. Bernius Subst.

Julius M. miseratione divina episcopus Tusculanus S. R. E. Cardis De Somalia SS. D. N. Papae Vicarius Generalis.

Publicetur in forma Ecclesiae consueta. Hac die 24 Ianuarii 1816.

C. M. Archiep. Philipp. Vicesg
Antonius Can.cus Aquari.

Secret.us

Anno 1823. septennio elapso, privilegium prorogatum fuit, supplici libello porrecto a Praeposito nostro Generali, per sequens Rescriptum:

(ex originali ibidem asservato)

Die 26 Aprilis 1823

SS.mus Dominus Noster Pius PP. VII supraenunciatas Indulgentias ad aliud septennium benigne confirmavit, servato in reliquis tenore primae concessionis.

Datum Romae ex Secr. S. C. Indulgentiarum

G. Card. AB AURIA PAMPHILI
Praef.us

A. Archiep. Trapez. *Secret.*

CLIV

DECRETUM S. C. SUPER REFORMATIONIS NEGOTIIS SPECIALITER A PIO VII DEPUTATAE, QUO EPISCOPO TUDERTINO CONCEDITUR FACULTAS LIBERE DISPONENDI DE ALTERO EX DUOBUS COENOBIIIS FRATRUM MINORUM APUD DICTAM CIVITATEM, FAVORE FUNDATIONIS RECESSUS SODALITATIS NOSTRAE.

die 15 Ianuarii 1816

(ex transumpto assertato in nostro Archivo Generali)

(Originale asservatur in cancellaria Episcopali Tuderti)

Omittuntur preces tum Cleri, (ex quo numero triginta subsignati sunt) tum populi (ex quo numero sexaginta novem subsignati)

Decreti vero tenor est sequens :

Die 15 Ianuarii 1816

Sacra Congregatio a SS.mo D.no N.ro Papa Pio VII super Reformationis negotiis specialiter deputata, attentis expositis, ac Informatione et voto R.mi Episcopi Tudertini annuendum esse censuit pro gratia petita concessionis Ecclesiae et Coenobii S. Iacobi cum suis adnexis et pertinentiis universis ad Religiosos Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorem antea spectan.; cujus possessionem idem Episcopus cui erat vigore Edicti E.mi et R.mi D.ni Cardinalis S. Cong.ni Episcoporum et Regularium Praefecti diei 9 septembris 1814, ac praevia circumscriptione, et irritatione quorumcumque actuum per eosdem Religiosos nulliter et indebite factorum contra Decretum primodictae Sacrae Congr.nis, quo cautum est, ne duo Caenobia ejusdem Instituti in eodem loco redintegrari possent, memorato Episcopo facultatem concedit de praefatis Ecclesia et conventu, coeterisque, quae clausura continent, libere disponendi favore Clericorum Regularium Passionis D. N. I. C.; vel alterius Religiosae Communitatis, cujus alumni Verbi Dei praedicatione et animarum zelo spiritualibus Civitatis et Dioecesis Tudertinae necessitatibus occurrere valeant.

Et Santitas Sua, me infrascripto Secretario referente, resolutionem S. Cong.nis benigne approbavit, et executioni mandari jussit, voluitque praesens Decretum ex speciali gratia suffragari, perinde ac si Literae Apostolicae in forma Brevis desuper expeditae fuissent, privilegiis, Exemptionibus, et Indultis Apostolicis Ordinis Minorum concessis, aliisque quibus

scumque in contrarium facientibus, quamvis specifica et individua mentione dignis, non obstantibus.

J. A. SALA S. Congreg. nis a Secretis .

L. ✕ S.

(sequitur legalitas transumpti)

Extat in nostro Archivo Generali etiam transumptum Instrumenti pro executione dicti Decreti sub die 16 Iunii 1817, favore Sodalitatis nostrae.

CHRONICA CONGREGATIONIS NOSTRAE

I

ELECTIONES, ORDINATIONES SACRAE, PROFESSIONES

Ex Prov. Praesentationis B. M. V. — Professio perpetua. — In Recessu S. Michaëlis Arch. prope Lucam, die 30 Iulii 1940, vota perpetua emisit *Confr. Stephanus a Jesu Sacramentato.*

Professio temporaria. — In Recessu B. M. V. ab Arce, die 29 Apr. 1940, vota temporaria emisit *Fr. Bonaventura a Jesu et Maria.*

Ex Prov. B. M. V. Dolorosae — Ordinationes sacrae. — Die 18 Maii 1940, Praeneste, in ecclesia S. Luciae, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Luciani Migliorini, Ep. Auxiliaris ac Vic. Gener. Dioecesis Praenestinae, Sacrum Presbyteratus Ordinem susceperunt *Patres: Raphaël a SS. Sacramento et Innocentius a S. Cruce.*

Ex Prov. B. M. V. a Pietate — Ordinationes sacrae. — Die 9 Junii 1940, in ecclesia S. Mariae de Stella, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Stephani Corbini, Ep. Fulginatensis Sacrum Presbyteratus Ordinem susceperunt *Patres: Philippus a Bono Pastore, Leonardus a Virg. Perdolente, Gerardus Maria a Corde Jesu, Caelestinus ab Infante Jesu, Alfredus a S. Gabriele, Basilius a Virg. Perdolente, Ferdinandus a Latere Jesu; die 11 Aug. 1940 in eadem ecclesia, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Hamilcaris Stanislai Battistelli, Ep. Suanen. et Pitilianen., Patres: Vincentius a Virg. Perdolente, Stanislaus ab Immaculata, Marcellinus ab Immaculata.*

Professio perpetua. — Die 22 Iulii 1940, in recessu N. Domine a S. Corde (Sammarcello), vota perpetua emisit *Fr. Salvator a Jesu et Maria.*

Ex Prov. S. Pauli a Cruce. — **Professio temporaria.** In Recessu S. Pauli a Cruce, die 4 Febr. 1940, vota temporaria emisit *Fr. Benedictus a Matre Dei.*

Ex Prov. SS. Cordis Jesu. — *Ordinatio sacra.* — Die 15 Augusti 1940, in sacello privato Rev.mi Episcopi Lucensis, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Raphael Balanzà y Navarro, Ep. Lucensis, sacrum Presbyteratus Ordinem suscepit *P. Henricus a Latere Jesu.*

Ex Prov. Purissimi Cordis B. M. V. — *Capitulum Provinciale.* — Habitu est a die 20 ad diem 25 Junii 1940 in Recessu S. Mariae « del Sasso » (Caravate), eiquae praefuit Rev.mus P. Praepositus Generalis. Electi autem fuerunt :

in Praepositum Provinciale: Adm. R. P. LEO A VIRGINE SS. ROSARII ;

in 1^{um} Consultorem : Adm. R. P. Aloisius a S. Carolo ;

in 2^{um} « « Adm. R. P. Fidelis a Jesu et Maria ;

in Rectorem Recessus S. Pancratii M. (Pianezza): R. P. Ludovicus a Jesu Agonizante ;

in Rectorem Recessus S. Mariae « del Sasso » (Caravate): R. P. Dismas a Virg. Dolorosa ;

in Rectorem Recessus S. Pauli a Cruce (Pegli): R. P. Justinus a Virg. Assumpta ;

in Rectorem Recessus S. Francisci (Brugnato): R. P. Philippus a M. B. Consilii ;

in Rectorem Recessus S. Mariae «delle Rocche » (Molare): R. P. Ferdinandus a S. Joseph.

in Rectorem Recessus S. Mariae a S. Cassiano (Cameri): R. P. Xaverius a M. B. Consilii ;

in Rectorem Recessus S. Mariae Angelorum (Basella): R. P. Valentinus a M. S. Spei ;

in Rectorem Recessus S. Gabrielis a Virg. Perdolente (S. Zenone degli Ezzelini): R. P. Thomas a Latere Jesu ;

in Magistrum Novitiorum (Caravate): R. P. Fulgentius a S. Joseph.

Ordinationes sacrae. — Die 14 Julii 1940, in ecclesie S. Gabrielis a Virg. Perdolente, per manus Exc.mi ac Rev.mi D. Antonii Mantiero, Ep. Tarvisini, Sacrum Presbyteratus ordinem susceperunt *Patres: Valerianus a Virg. Perdolente, Christophorus a Virg. Perdolente, Timotheus a Cruce, Natalis a Jesu et Maria, Georgius a Jesu Crucifixo, Joannes a Virg. Perdolente, Faustus a Matre Dei, Mauritius a S. Gemma Galgani, Octavius a Regina Martyrum, Bartholomaeus a S. Aloisio Gonzaga, Mansuetus a Virg. Perdolente.*

Ex Prov. a Latere Jesu. — *Capitulum Provinciale.* — Habitu est a die 5 ad diem 9 Julii 1940 in Recessu SS. Cordis Jesu (Manduria), eiquae praefuit Rev.mus P. Praepositus Generalis. Electi autem fuerunt ;

in Praepositum Provinciale: Adm. R. P. DOMINICUS A LATERE
JESU;

in 1^{um} Consultorem: *Adm. R. P. Raymundus a V. Perdolente*;

in 2^{um} « « *Amd. R. P. Ildefonsus a V. Perdolente*;

in Rectorem Recessus SS. Cordis Jesu (Manduria): *R. P. Marcellus a SS. Nuntiata*;

in Rectorem Recessus S. Pauli a Cruce (*Ceglie Messapico*): *R. P. Ambrosius ab Assumptione*;

in Rectorem Recessus Purissimi Cordis B. M. V. (Novoli): *R. P. Nazarenus a V. Perdolente*;

in Rectorem Recessus B. M. V. de Catena (Laurignano): *R. P. Timotheus a V. Perdolente*;

in Rectorem Recessus S. Francisci a Paula (Fuscaldo): *R. P. Justinus a Passione*;

in Rectorem Recessus B. M. V. de Pace (Monopoli): *R. P. Modestus ab Assumptione*;

in Magistrum Novitiorum (Laurignano): *R. P. Fulgentius a Jesu Infante*.

Ex Prov. S. Familiae. — *Professiones temporariae* — Die 1 Julii 1940, in recessu B. M. V. del Villar (Corella), vota temporaria emisserunt *Confratres: Anselmus a Jesu et Maria, Richardus a Jesu Crucifixo, Julianus a Corde Jesu*; die 24 Augusti 1940, *Frater Paulinus a Jesu Christo Rege*.

II

VARIA NOTATU DIGNIORA

EXC.MUS AC REV.MUS D. VICTOR SANABRIA ARCHIEPISCOPATUM SUUM S. JOSEPHI DE COSTARICA PONIT SUB TUTELA S. P. N. PAULI A CRUCE.

Quamvis non multi in Republica de Costarica vitam mirabilem S. Patris Nostri Pauli a Cruce et Religiosam Congregationem ab ipso fundatam pernoscant, nec ullus ibi Congregationis nostrae sodalis inveniatur, res tamen evenit quae nobis causa est felicitis auspicii: Exc.mus scilicet ac Rev.mus D. Victor Sanabria, S. Pauli a Cruce, sicut et Ill.mus Dux D. Georgius Volio y Jiménez, eximius cultor, Sedis suae Metropolitanae atque Archiepiscopatus S. Josephi de Costarica possessionem capere voluit die festo S. Patris Nostri; sub cuius validissimo praesidio nos Exc.mo ac Rev.mo Praesuli prosperum ac gloriosum pontificatum auspicamur (Cf. diarium *La Tribuna*, (S. José) 28 de Abril de 1940).

TRANSLATIO SEDIS CURIAE PROVINCIALIS PURISSIMI CORDIS B. M. V.

In Capitulo Provinciae Purissimi Cordis B. M. V. recens habito, translata est sedes Curiae Provincialis e recessu S. Pancratii M. (*Pianezza*) ad recessum S. Mariae «del Sasso» apud *Caravate* (*Varese*). Huc igitur in posterum mittenda suat nuntia funebria et alia, quae ad Praepositum illius Provinciae diriguntur.

DE SODALIBUS NOSTRIS IN BELGIO COMMORANTIBUS

Litteris ad Rev.mum P. Praepositum Generalem missis novimus omnes recessus Provinciae S. Gabrielis a Virg. Perdolente (in Belgio) indemnes haberi, praeter recessum SS. Crucis (Ère), qui parvam aliquam tantum jacturam passus est. Omnes sodales militiae jam adscripti ad religiosas domus sunt reversi, tribus exceptis, qui brevi tamen adfuturi expectantur. Hi omnes sunt incolumes, sicut et illi qui, instante periculo, domibus aufugerunt. De uno solummodo religioso sodali penitus notitiae non habentur. Cetera omnia ita bene aguntur, ut vita regularis in omnibus recessibus plane vigeat.

DE DOMO AD LINGVAE SINENSIS STUDIUM EXCOLENDUM PECHINI (IN SINENSI IMPERIO) A NOSTRATIBUS CONSTITUTA.

Cum perfecta linguae cognitio ad munus apostolicum obeundum plurimum conferat, multae domus ad studium sinensis loquela excolendum, circa sedem Delegati Apostolici, Exc.mi ac Rev.mi D. Marii Zanin, *Pechini* (in Sinensi Imperio) excitatae sunt, quas inter illa recensetur quae a sodalibus nostris in Vicariatu Apostolico de Yüaling (Hunan Septempr.) anno proxime elapso exstructa est. Ibi nunc octo Sacerdotes Congregationis Nostrae morantur, quorum quinque integrum primum studii annum (cursus duobus annis absolvitur) iam perfecerunt, alii vero primum annum peragunt. Lectiones ipsi frequentant in Instituto, quod Sodales a Societate Jesu erexerunt ac moderantur, vulgato nomine *Maison Chabanel* appellato.

Nova sinensis sermonis addiscendi ratio multo magis utilis et efficax demonstratur, quam antiqua illa linguae studendi in missionum locis. Insuper, ita instructi, facilius missionarii labores suos apostolicos ad Hunan Occident. extendere poterunt.

Super haec missionariorum studia ac futurum apostolatum divinae Sapientiae ac largitatis dona enixe imploramus.

BENEFACTORES COOPTATI

In albo Benefactorum Congregationis nostrae, patentibus Litteris Rev. mi P. Praepositi Generalis, recensiti sunt :

Die 15 Martii 1940, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Praeposito Prov. S. Michaelis Arch., dominus ROGER MARRAUD DES GROTTES eiusque familia, loci Talence, dioecesis Burdigalensis.

Die 5 Apr. 1940, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Praeposito Prov. B. M. V. Dolorosae, DOMINUS ALOISIUS PALMIERI EIUSQUE CONIUX loci Torrice, dioecesis Verulanæ.

Die 10 Apr. 1940, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Praeposito Prov. S. Familiae, DOMINUS JULIUS GRACIA ZATONE, civitatis et dioecesis Caesaraugustanae.

Die 2 Maii 1940, precibus exhibitis ab Adm. P. Praeposito Prov. a Latere Jesu, domina ANNA CAMICIA, loci *Monopoli*, dioecesis Monopolitanae.

Die 14 Aprilis 1940, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Praeposito Prov. Praesentationis B. M. V., dominus UBALDUS POLVERINI, loci *Grafignano*, dioecesis Viterbiensis.

Die 2 Maii 1940, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Praeposito Prov. Matris S. Spei, dominus GERARDUS GULIELMUS THEUNISSEN.

Die 2 Junii 1940, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Praeposito Prov. B. M. V. Dolorosae, ADM. REV. RAPHAEL QUINTILIANI, parochus loci *S. Donato Val Comina*, dioecesis Soranae.

Die 2 Junii 1940, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Praeposito Prov. S. Familiae, REV. M. M. DE LOS ANGELES DE S. JOSÉ, ROMEU, et religiosa familia S. Joseph de Montana, loci Tacubaya, dioecesis Mexicanae.

Die 8 Septembris 1940, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Praeposito Prov. B. M. V. a Pietate, dominus DOMINICUS GUIDI, loci *Borgo Maggiore*, dioecesis Feretranae.

BIBLIOGRAPHIA

MONITUM

Meminerint Superiores et Scriptores Sodalitatis nostrae omnium operum quae a nostris eduntur, etiamsi tantum novae editiones sint, trina exemplaria ad Secretarium Generalem Congregationis mittenda esse, tum ut in Archivo Generali Congrega-

tionis et in sacro Museo ad Scalam Sanctam erecto omnia a nostris edita opera, licet exiguae molis, haberi et servari possint, tum ut de iisdem in hoc Commentario notitiam dare valeamus.

P. SERAFINO DELL'ADDOLORATA, PASSIONISTA, *Il Servo di Dio P. Benardo M. di Gesù, Preposito Generale Passionista, compagno di S. Gabriele dell'Addolorata*. Seconda Edizione riveduta ed ampliata, con prefazione di Mons. Luigi Ferri, Vescovo di Montalto e Ripatransone (Soc. Tip. A. Macioce e Pisani, Isola del Liri, 1940-XVIII), cm. 20 X 13, pp. 222.

Quae de prima huius biographiae editione hac nostra ephemeride jam dicta sunt (cf. vol. XIII, pp. 191-192) huic etiam secundae sunt applicanda. Addendum quod nova haec editio notabiliter est aucta notitiis, pulchriorem formam typographicam praebet ac tegumento affabre confecto et expresse significante decoratur.

P. BASILIO DE S. PABLO, PASSIONISTA, *Estudiemos a Cristo* (Rayfe, Madrid), cm. 13x20, pp. 239. — Pretium: 7 pesetas.

Tribus partibus quibus opus constat auctor, solida theologica doctrina instructus, stilo lucido et presso, tractat de Christi Persona ac de illius in christianam vitam et humanam societatem influxu. Volumen multum proderit omnibus lectoribus, sed illis praesertim qui doctrinae et praxis christianae ampliorem cognitionem et defensionis arma desiderant.

IDEM. — *Sucinta biografía de Santa Gema* (Administración de "El Pasionario", Santander) cm. 15x10,3 pp. 40.

Compendium hoc brevissimum vitae longioris et accuratissimae ab ipso exaratae (Cf. *Acta*, vol. XIII, p. 91) scripsit auctor, stilo simplici et efficaci, ad magis vitae mirabilis S. Gemmae Galgani cognitionem pervulgandam, inter illos etiam qui laboribus vel distractionibus detinentur. In calce opusculi parvum novendiale invenitur in honorem S. Gemmae.

La hora santa de santa Gema Galgani (Nueva edición), administración de "El Pasionario", cm. 14,3x9,3, pp. 40.

Hac nova editione Horae Sanctae, qua usa est S. Gemma Galgani, voluit Administratio ephemeridis "El Pasionario" piis satisfacere desideriis cultorum Dominicae Passionis et S. Gemmae lingua hispanica utentium.

DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

DE NUNTIO FUNEBRI

In exarando nuncio funebri nunquam omittantur: Nomen Congregationis vel Instituti; dies, mensis et annus mortis; nomen loci tam sacrum quam saeculare; nomen Provinciae; nomen religionis et saeculi defuncti vel defunctae; dies, mensis et annus primae professionis.

Nuncium vero a Rectore domus, in qua defunctus morabatur, mittendum est tum ad Secretarium Generalem tum etiam ad singulos Provinciales, aliosque Superiores iuxta normas in novis Statutis n. 150 editas.

✓ 19. — *Die 24 Junii* 1940, in Prov. S. Pauli a Cruce, P. LEONARDUS A. PURIFICATIONE (Guillelmus Byrnes), qui, natus an. 1876, vota nuncupaverat die 20 mensis Febr. an. 1898.

✓ 20. — *Die 29 Julii* 1940, in Recessu SS. Joannis et Pauli (Peña-fiel), Prov. Pretiosis. Sanguinis, FR. ANDREAS A S. PAULO A CRUCE (Joannes Joseph Lezarraga), qui, natus anno 1863, vota nuncupaverat die 15 Jan. 1882.

✓ 21. *Die 8 Jul.* 1940, in Recessu B. M. V. de Monte Carmelo (Tafalla), Prov. S. Cordis Jesu, CONFR. BERNARDINUS A COLUMNA (Joseph Zubillaga), qui, natus anno 1903, vota nuncupaverat die 13 Oct. 1931.

✓ 22. — *Die 8 Jul.* 1940, in Recessu SS. Joannis et Pauli (Romae), FR. IGNATIUS A CRUCE (Nuntius Alimandi), Prov. B. M. V. Dolorosae, qui, natus anno 1860, vota nuncupaverat die 13 Sept. 1885.

✓ 23. — *Die 3 Aug.* 1940, in Gallia, in nosocomio militari, CONFR CAROLUS A CORDE MARIAE (Carolus Kugelmann), Viceprov. Germanicae, qui, natus die 22 Febr. 1918, vota nuncupaverat die 18 Oct. 1936.

✓ 24. — *Die 24 Martii* 1940, in religiosa domo S. Annae (Bradford, Yorks), Instituti Sororum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. (Bolton), SOROR M. PHILOMENA JOS. A VII DOLORIBUS (Maria Anna Moore), quae, nata anno 1855, vota nuncupaverat die 8 Septembris 1880.

✓ 25. — *Die 2 Aprilis* 1940, in religiosa domo S. Pauli a Cruce (Belfast, N. I.), Instituti Sororum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. (Bolton), SOROR M. ETHNA JOS. A QUINQUE VULNERIBUS (Catharina Farrell), quae, nata anno 1886, vota nuncupaverat die 25 Augusti 1904.

✓ 26. — *Die 25 Septembris* 1940, in Recessu S. Michaelis Arch. (Santanter), Prov. Pretiotissimi Sanguinis, FRATER HELLADIUS A VIRGINE PERDOLENTE (Norberto Calavia Arco), qui, natus anno 1888, vota nuncupaverat die 20 Februarii 1916.

Imprimatur : TITUS A S. PAULO A CRUCE Praep. Gen.

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, PASSIONISTA) *Direttore responsabile*

Finito di stampare il 7 Ottobre 1940 nella Scuola Tipografica

Missionaria Domenicana - Via della Valle delle Camene, 13 - Roma